
Romanus







XXXIV

ANON. de

Pap.

PAPATVS ROMANVS:

LIBER

DE ORIGINE, PROgressu, atque extinctione ipsius.

LONDINI,
Ex Officina NORTONIANA, Apud IOHANNEM BILLIVM.
1617.


HONI SOIT QVI MAL Y
ENSE

SERENISSIMO, POTENTISSIMO ET INVICTISSIMO IACOBO, Magnæ Britanniæ Regi.

TIbi Defensori Fidei, Magnæ Britanniæ Rex, libertatisq; propugnatori, omnes eorum lucubrationes, qui pro asserendâ ab Ecclesiæ Romanæ iugo libertate scriptitarunt, optimo iure debentur. Nam quantum præsidij ad illam & reuocandam, & conseruãdam in vestra scientia, prudentiaq; existat, omnes Reges, Principes, & docti viri, qui tua scripta tantùm gustarunt, tuamq; in maximis rebus sapientiam experti sunt, optime norunt. Ut igitur videas tuã doctrinam, cum virorũ nostræ ætatis doctissimorum, imò cum omnium

veterum, qui cæteris antiſtare exiſti-
mati ſunt, ſententijs in hac cauſa tuen-
da congruere; &, quod Ma^{tas} Tua
quotidie exequitur, id illos antè ſenſiſſe,
faciendumq́; præcepiſſe; atq́; videaris
eorũ volumina diligenter peruoluiſſe,
legendoque triuiſſe, & quicquid in eiſ-
dem ad libertatem à Romana Eccleſia
oppreſſam denuo recuperandam facit,
id omne auida hauſiſſe aure, animoq́;
condidiſſe fideli; libellum iſtum de
Papatu Romano compoſui, in quem
quicquid obſeruatu dignum reperire
potui, quod ad ipſum Papatum ſuis li-
mitibus reſtringendum attinet, id omne
hic ſtrictim breuiterq́; compegi. Spem
ſanè non dubiam animo concepi, hanc
meã lucubratiunculã à doctis, liberæq́;
indolis viris prius expectatam, iamq́;
euolãtem, multis vel prorſus ſuadẽdis,
vel ſaltem excitandis inſeruiturã. Vtq́;

ita

ita sperarẽ, & materiæ præstantia, & mea (quod arroganter non dico) diligentia, ac laboriosissima industria, mihi persuaserunt: omnino autem hinc ad rempublicam Christianam, & ad cæteros Principes, ac priuatos homines vtilitatem, fructumq; non pœnitendum rediturum, etiam aliqui, qui opusculum hoc perlegerunt, me tacente, spondere ausi sunt. Ergo, sapientissime Rex, totum hoc, quicquid est, emolumenti, quod ad Christianos è nostra hac lucubratione proueniet, Vestræ Maiestati volo acceptum ferant; te illos à tyrannide Romana liberasse agnoscant, tuisque auspicijs me hoc opusculum confecisse sentiant: Ideoque te ament, ac imitentur omnes boni & cordati Reges, Principes, & liberæ voluntatis docti viri. Totum hoc tuum esto, si quid sit laude & gratiarum actione dignum.

 Nomen

Nomen enim meum N. qui Italus sum, publicari non patior.

Ego abs te, Potentissime, doctissimeque Rex, vicissim hoc vnum peto, quâ debeo reuerẽtia & submissione, vt hoc nostrum munus benigno, æquoque animo accipere digneris; cui certe ornamentum, munimentumque non leue est accessurum, si Rempub. Christianam cum aliqua etiam tuæ approbationis, tutelæque Regiæ laureâ poterit permeare. Nos quidẽ, & nostra omnia, tibi præsto esse spondemus, si quis vsus tenuitatis nostræ esse aliquando tantæ M.ti possit. Interim tibi, & Illustrissimo Principi Carolo, ac familiæ tuæ, omnibusque eis, qui vobis bene optant, à Deo Opt. Max. omnia faustissima precamur, tuæque nos clementiæ suppliciter commendamus.

E Musæo nostro.

AD LECTORES.

DE præcellentia, & iuribus Papatus Romani, inter ſummos totius orbis Chriſtiani doctiſſimos viros antiquiſſima eſt controuerſia, quam Theologi ſpeculatiuo, Canoniſtæ vero practico modo luculentiſſimè tractarunt, vtrique leuiſſima ſæpe arripiant, & planiſſima vt plurimum detorquent; Iccircò qui amarum ipſius immenſum mare, Canonum & Decretalium falſitatis, cum hiſtorijs, temporumq; diſtinctione & obſeruantia in reductum ſinum reſtinxerint; nullus hunc, & qui exiguum laborem ſuſciperit, hactenus apparuit. Non equidem gloriæ ſaporem, vt habeam, Oceanum iſtum, parvum in gurgitem anguſtare exordior, cujus nauigium practicabili quadam verſoria nautis, ac vectoribus facilè, ac peculiare foret. Sed quia circa vtilia ſtudere debemus, inſtar *Salomonis Eccleſ. Cap.* 2. Cogitaui in corde meo abſtrahere à vino carnem meam, vt animam meam transferrem ad ſapientiam, deuitaremq; ſtultitiam, donec viderem quid eſſet vtile filijs hominum;

 Habe-

Habebitur iſte liber ſuccinctus, authenticus, facilis, obuius, ex immenſo, profundo, ac difficulter penetrabili tot ſanctorum Patrum Theologorum, & Hiſtoricorum Oceano exiguum in lacum, non parvo cum labore redactus. Apum mellificantium ſolertiam imitari conatus ſum. E magno ſcriptorum campo ſelegi floſculos; ex quibus hîc, non corollam texui, ſed paucas mellis guttulas delibaui. De verbis & ſtylo non curate, ſed quo ſenſu ſcripſi, & an vere iudicate: ſi enim recti ſenſus, quid refert in re tam ardua, quo velo, aut veſte eos texerim? *Socrates* inquirenti cuidam, quomodo poſſet optime dicere, reſpondit; Si nihil dixeris niſi quod bene ſcieris. Hoc ego feci, perlegite, & de nomine authoris inglorio non curate.

¶ Argu-

¶ Argumenta Capitum Libri.

Cap. I. In quo ostenditur Episcopos successisse in locum Apostolorum, & nullam inter eos ratione ordinis, vel iurisdictionis praeeminentiam dari posse.

Cap. 2. *Episcopum Vrbis Romae nullam praeeminentiam ab Apostolis habuisse, quam caeteri Episcopi non habuerint.*

Cap. 3. *Valdè decipi aestimantes Papam esse Vicarium Christi immediatè; nam & ipse in rei veritate Vicarium Petri se esse profitetur.*

Cap. 4. *Quae fuerit Origo & progressus praeeminentiae Papatus.*

Cap. 5. *In quibus Concilijs dispositum fuerit, Papam non habere praeeminentiam super caeteros Patriarchas, & eorum suffraganeos.*

Cap. 6. *Resoluuntur quae aduersus praecedens caput ex Concilijs Lateranensi, & Florentino opponuntur.*

CAP. I.

CAP. I.

Episcopos successisse in locum Apostolorum, & nullam inter eos ratione ordinis, vel iurisdictionis præeminentiam dari posse.

*Omnipotens desiderium meum exaudiat, & librum scribat ipse qui iudicat, ut in humero meo portem illum, & circundem illum quasi coronam; per singulos gradus pronuntiabo illum, & quasi Principi offeram eum. Iob. Cap.*31. Si Apostolorum institutionem & acta percurrimus, (quibus Episcopos iure diuino successisse probabimus) nullam neque ordinis, neque iurisdictionis ratione, inter eos præcedentiam dari posse inueniemus: qua inuincibili ratione fatendum erit, neque inter eorum successores, quibuscumque populis præfecti fuerint, præeminentiam aliquam dari posse: Apostolis enim omnium populorum cura æqualiter demandata fuit, *Matthei* cap. vlt. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* & ibidem, *Ego vobiscum sum vsque ad consum-*

mationem seculi. Quæ verba *Origenes* interpretatur, *Apostolis simul congregatis dominum dixisse.* Item *Ioh.* cap. 20. *Insufflauit & dixit eis, Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata,* &c. *Et quorum retinueritis retenta sunt.* Omnibusque æqualiter cœlorum regni claues traditæ fuere, *Math.* 18. æqualiter alios vita exemplari docere iubet, *Sic luceat lux vestra coram hominibus*, pariter omnibus infirmitates curandi, dæmonesque eijciendi potestatem dedit. *Marc.* cap. 3. *Math*, cap. 10. & *Lucæ* cap. 10. Reuersi à prædicatione Septuaginta dixerunt, *etiam dæmonia subijciuntur nobis*: & *Ioh.* cap. 20. Volens Christus post resurrectionem potestatem Apostolis datam confirmare, dixit, *Sicut pater misit me ego mitto vos; Accipite Spiritum Sanctum.* Ideo *Leo* Papa in sermone de Apostolis tractans illud *Math.* 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum, dicit, Transiuit in omnes Apostolos ius istius potestatis,* Et *Anacletus Papa in Epistola* 2. *ad Episcopos Italiæ.* Cæteri vero Apostoli ait cum eodem pari consortio honorem, & potestatem acceperunt. Et *Cyprianus in tractatu de vnitate Ecclesiæ.* Hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quod fuit, & Petrus pari consortio

prædit,

præditi, honoris & poteſtatis.

Comprobatur ex his quæ in *Actis Apoſt.* geſta ſunt, Nam in Cap. 1. 6. 8. 15. & 21. nunquam legitur ſolius Petri nomine aliquid geſtum eſſe, quamuis ipſe præſens extiterit, *Iacobus* non a ſolo Petro, ſed cum Apoſtolis ordinatus eſt Epiſcopus, & *Anacletus* in ipſa Epiſtola 2. Porro ait Hieroſolymitanorum primus Archiepiſcopus Beatus *Iacobus*, qui iuſtus dicebatur & ſecundum carnem Domini vocatus eſt frater, à *Petro Iacobo* & *Iohanne* Apoſtolis ordinatus eſt. Item in electione *Mathiæ* omnes Apoſtoli fuerunt, Act. Cap. 1. Quod D. *Hieronymus ſuper Ionam*, Cap. 1. explicat & *Beda* in dicto cap. 1. Act. dicunt, Apoſtolos non niſi collecto fratrum cœtu precibuſque ad Deum fuſis id egiſſe. Præterea cum ageretur de legalibus veteris Teſtamenti ſeruandis, vel non, & quæſtio fidem tangeret, *Iacobus Epiſcopus Hieroſolymitanus ſententiam dixit*. Act. 15. Ego Iudico. Quod igitur Iacobus dixit, Petro aſcribi non poteſt, vt plurimi falsò autumant, multoque minus *Verum eſſe poteſt*, quod alij excogitarunt Petrum Iacobo in ſua diocœſi promulgationem detuliſſe, litera non dicit, imo

 contra-

contradicit verbis, *Ego Iudico*, omnino igitur fatendum est nullam Petri in hoc auctoritatem interuenisse: Addit visum est Spiritui Sancto, *& nobis, nihil vltra vobis imponere*, nihil de Petro tangitur. Quod si eius auctoritate factum esset, Petro ipsi ascribi opus fuisset, vt Canonistæ profitentur, *in cap. 1. & in cap. Non satis. de Simonia, & in cap. Ad Apostolicæ. de re iudicata, lib. 6. & in cap. Vbi periculum. de electione libro 6.* Idem factum est, cum viros boni testimonij elegerunt, qui diaconorum officium excercerent. Act. cap. 6. etiam Apostoli Petrum atque Ioannem miserunt. Act. cap. 8. *Et cum missi fuissent, parem potestatem habuisse dicuntur Petrus & Ioannes*, cap. 8. *nam seruus maior domino esse non potest. Ioh.* cap. 13. neque missus mittente, & in diuisione possessionum non solum Petrus interfuit. Act. cap. 4. Quod *Clemens* Papa in Epistola 5. declarat: Præterea *Paulus* parem cum *Petro* potestatem habuit, quod ex Epistola *Pauli* ad *Galatas* in cap. 2. deducitur; Cum cognouissent gratiam, quæ data est mihi *Iacobus*, & *Cephas*, & *Ioannes*, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & *Barnabæ* societatis, Item ibi, Mihi

autem,

autem, qui videbantur esse aliquid nihil contulerunt, id est principales Apostoli nihil contulerunt in notitia Euangelij, sed è contra ego contuli eis, vt exponit *Nicolaus de Lyra*. Mox clarius exprimit, *Cum vidissent quod creditum est mihi Euangelium præputij, sicut & Petro circumcisionis, qui enim operatus est Petro in Apostolatu circumcisionis, operatus est mihi inter gentes.* Ergo Paulus non à Petro sed à Christo hoc officium suscepit: & ibi glossa Augustini hoc amplius exprimens, dicit, Qui videbantur esse aliquid, scilicet Petrus, & qui cum domino fuerunt, nihil addiderunt mihi, *in quo apparet, quod illis inferior non ego sum, quia ita à Domino perfectus sum, vt nihil esset quod in collatione perfectioni adderent:* Ad hoc etiam probandum *Nicolaus* addit: Cum vidissent quod mihi creditum est Euangelium præputij, id est officium Apostolatus ad prædicandum gentibus, sicut & Petro circumcisionis, id est officium Apostolatus ad prædicandum Iudæis; Qui enim operatus est Petro, &c. Ab eodem enim vterque ad fidem & Apostolatum euocatus est, ergo æque principaliter missi fuerunt: & cum sequitur, *Cum autem*

venisset

venisset Petrus Antiochiam in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat, supplet glossa, quod non auderet, nisi se non imparem sentiret.

D. *August.* in sermone 3. Apostolorum Petri & Pauli ait, Ergo Beati Petrus, & Paulus eminent super vniuersos Apostolos, & peculiari quadam prærogatiua præcellunt, verum inter ipsos, quis cui præferatur incertum est.

D. *Ambrosius* in sermone 66. De Natali Petri & Pauli eadem pręcisa verba refert; Beati Petrus & Paulus eminent inter vniuersos Apostolos, & peculiari quadam prærogatiua præcellunt, verum inter ipsos quis cui præferatur incertum est.

Idem probatur super illud ad *Galatas*, cap. 1. Neque per hominem, sed per Iesum Christum & Deum patrem: glossa *Augustini* dicit, Non per hominem mortalem, sed per eum iam suscitatum, qui non vt homo homines paulatim, sed totum simul per Spiritum docuit; *vt per hoc sit maior qui videbatur esse minor: cœteri enim Apostoli videbantur maiores, quia priores, iste minimus, quia nouissimus, sed inde apparet esse dignior, quia priores per Christum constituti sunt, adhuc ex parte hominem, id*

est

est mortalem, nouissimus vero Paulus per Christum iam totum Deum, id est ex omni parte immortalem.

Et paulo post in eodem cap. 1. ad *Galatas*, subiungit, Non enim facio vobis Euangelium, fratres, quod euangelizatum est à me, quod non est secundum hominem, non enim ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi, *Itaque neque Petrus, neque alius Apostolus, aut homo quisquam elegit, misit, aut instituit Paulum Euangelij ministrum, ergo minor Petro non est etiam in iurisdictione*, nam excommunicauit *Corinthum*; & 1. ad *Corinth.* cap. 1. asserit se quosdam tradidisse Sathanæ, & ibid. cap. 5. ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui tanquam præsens eum, qui sic operatus est.

Ideoque illorum responsio, qui paritatem inter Petrum & Paulum intelligunt de paritate vitæ, & sanctitate conuersationis stare nullo modo potest, & *Vlricus Argentinensis* in lib. 6. sui operis cap. 23. hanc interpretationem *Gratiani* non conuenire verbis literæ probat, quoniam redarguere coram omnibus, ad officium Ecclesiasticæ digni-

 tatis

tatis pertinet, illi peccātem coram omnibus arguunt, vt cęteri timorē hābeant iuxta ſententiā Pauli. 1. Tim. ca. 5. Quod de Paulo dicitur, idem de alijs Apoſtolis dicendum eſt, in quos nullam iuriſdictionem, aut poteſtatem Petrus à Chriſto accepit, nullibi enim hoc legitur, ſed contrarium; nam quæ Petrus geſſit, ex communi Apoſtolorum voto geſſiſſe apparet, Act. cap. 15. Et ex pręcepto Chriſti apparet contrarium, Math. ca. 23. Ne vocemini Rabbi, vnus eſt enim magiſter veſter Chriſtus, omnes autem vos eſtis fratres, & Math. cap. 20. Scitis quod principes gentium dominantur eis, & qui maiores ſunt poteſtatem exercent in eis; non ita erit inter vos. Et Marc. 10. Ieſus vocans Apoſtolos, ait illis, Scitis *quod ij, qui videntur principari gentibus dominantur eis, & principes eorum poteſtatem habent ipſorum, non ita autem eſt in vobis*. Et Luc. 23. Reges Gentium *dominantur eis, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur, vos autem non ſic*. Neque dici poteſt Petro ſuper alios Apoſtolos poteſtatem datam eſſe à Chriſto. Ioh. cap. vlt. per illa verba, *Simon Ioannis diligis me plus his*, vbi per ſingula dicebat Dominus

Ieſus

Iesus Petro dicenti, Amo te, pasce oues meas, pasce agnos meos : Nam D. *Augustinus* in sermone de vigilia Apostolorum Petri & Pauli, *in vno Petro*, ait, figurari vnitatem omnium pastorum, seu bonorum, qui sciant oues Christi pascere Christo, non sibi. Idem super Ioh. tractatu 50. cap. 12. Quodcunque ligaueris super terra, erit ligatum & in cœlo: *Si hoc tantum Petro dictum est, non hoc facit Ecclesia*, Et paulo infra, *si ergo hoc in Ecclesia fit, Petrus quando claues accepit, Ecclesiam sanctam significauit* : Si in Petri persona significati sunt in Ecclesia boni, in Iudæ persona significati sunt in ecclesia mali, qui textus in Decreto *Gratiani* positus est, in 24. Causa, quęstione prima, cap. 6. Idem *Augustinus* in sermone 10. super Ioh. loquēdo de potestate ligandi & soluendi, dicit, *Hoc Petrus pro omnibus, tanquam personam vnitatis accepit*. Et iterum in libro de Agone Christiano cap. 30. *Non sine causa*, ait, *inter omnes Apostolos Ecclesiæ Catholicæ personam sustinet Petrus, huic enim claues regni cœlorum datæ sunt, & cum ei dicitur, omnibus dicitur, Amas me, pasce oues meas*, Et in cap. 31. Subijcit, *Nec eos audiamus qui negant Ecclesiam Dei, omnia peccata posse dimittere*,

Itaque miseri dum in Petro Petram non intelligunt, & nolunt credere esse datas claues regni cœlorum, ipsi eas de manibus amiserunt. Et super Psal. 108. dicit, *Sunt quædam quæ ad Apostolum Petrum proprie pertinere videntur, nec tamen illustrem habent intellectum, nisi cum ad Ecclesiam referuntur, cuius ille agnoscitur in figura gessisse personam.* Item in lib. 2. Quæstionum Veteris & Noui Testamenti, quæstione 79. dicit, *Quod in Concilio generali per hæc verba definitum est, & hoc vtique sacramentum nemo potest conficere, nisi secundum claues Ecclesiæ ordinatus fuerit, quas ipse concessit Apostolis, eorumque successoribus Iesus Christus.* Et habetur in cap. 1. in fine de *Summa Trinitate, & fide Catholica*. Et Papa hoc idem confitetur in cap. 28 de *Sententia excommunicationis*, Ecclesię, ait, *Legitur attributa potestas ligandi atque soluendi*. Idem in cap. 10. *de Pœnitentijs & remissionibus*, vbi, *quòd licet Beatissima Virgo dignior & excellentior fuerit Apostolis vniuersis, non tamen illi, sed istis Dominus claues regni cœlorum commisit.*

Item glossa D. *Hieronymi* super illud, Quodcunque ligaueris in terra, &c. *habent quidem, ait, hanc iudiciariam potestatem omnes alij Apostoli, quibus post resurrectionem Domi-*

nus dixit, Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c. *Petrus autem ideo ſpecialiter accipit, vt omnes intelligant, quod quicunque ab vnitate fidei & ſocietate eius ſe ſeperauerit, nec à peccatis ſolui, nec cœlum ingredi poteſt.*

D. *Auguſt.* in lib. 7. de Baptiſmo cap. 51. dicit, Quę domus claues accepit, *ac poteſtatem ligandi & ſoluendi, hanc ſi quis corrigentem corripientemque contempſerit, ſit tibi tanquam ethnicus, & publicanus* : Ecce quod apud Eccleſiam eſt poteſtas iudiciaria ligandi atque ſoluendi, quæ verba fuerunt complicata in cauſa 24. quęſtione prima, & cap. Omnibus. Ex quibus ſatis apertè innuitur, non eſſe verum quod iuriſdictio Eccleſiaſtica ſit in Eccleſia tanquam theſaurus in arca, & quod Petrus receperit claues, vt apperiret arcam quando ei videretur, quaſi exercitium poteſtatis ſoli Petro conceſſum ſit, ſed quod poteſtas in habitu Eccleſiæ conceſſa eſt; quia illa verba, Hanc domum ſi quis corrigentem corripientemque contempſerit, &c. Eccleſiam habere exercitium clauium oſtendunt quando illis vti vult. Iccirco non eſt vera opinio Petri de Palude in tractatu

de *Poteſtate Papæ, Quæſt.* 8. *Artic.* 2. Qui voluit alios Apoſtolos non immediate à Chriſto, ſed à Petro poteſtatem iuriſdictionalẽ accepiſſe, hoc falſum eſſe huccuſq; probatũ fuit; Idem probatur per textum, iuncto eo, quod dicit ibi *Cardinalis Hoſtienſis*, in cap. nono. de *Pœnitentijs & remiſſionibus*, dum litera dicit, claues iſtas datas eſſe Apoſtolis, *Hoſtiẽſis* ponit duas claues, alteram fori contentioſi, alteram pœnitentialis; atque vtramque Apoſtolis omnibus datam eſſe. Idem voluit, *Scotus in lib.* 4. *Sententiarum*, quod duplex eſt in Eccleſia forum, alterum occultum alterum publicum, ita vt Apoſtoli omnes immediate à Chriſto iuriſdictionem habuerint.

Clarius probatur per textum Mathei cap. vltimo, Cum Chriſtus dixit Apoſtolis, Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ, baptizantes eos, &c. colligitur poteſtatem etiam de alijs ſacramentis datam eſſe, quia Baptiſmus eſt Sacramentorum ianua, & fundamentum. *cap. Veniens. de presbytero non baptizato*, & dicit gloſſa in cap. *Quicunque* diſtinctione 77. & gloſſa ſuper Math. 18. cap. & gloſſa in cap. 2.

de cog-

de cognatione ſpirituali lib. 6. Sed ſacramentorum miniſtratio ad iuriſdictionem pertinere dicitur, nam prędicare & ſacramenta conferre per totum mundum, & ſic in alienis parochijs nemo poteſt. Cap. *Nouit. de officio legati*, ea ſaltem eſt voluntariæ iuriſdictionis, vt ibi notatur. Ideo Paulus excommunicauit Corinthum, quod ad iuriſdictionem pertinet, *Cap. Per principalem, Cauſa nona, quæſtione tertia, cap. vltimo, & cap. Cum ſit Romana. de Appellationibus, & Cap. Audiuimus, cauſa prima, quæſtione tertia.* Item Paulus ambulans Syriam & Ciliciam, mandauit obſeruari præcepta Apoſtolorum, Act. Cap. 15. *Sed verbum præceptum* ſonat iuriſdictionem contentioſam, *cap In ijs. de verborum ſignificatione. Cap. Quiſquis. Cauſa* 14. *quæſtione prima.* Item Act. Cap. 16. *Paulus & Timotheus tranſeuntes per ciuitates tradebant eos dogmata cuſtodire quæ per Apoſtolos, & ſeniores decreta erant*, ſed verbum decretum ſapit iuriſdictionem contentioſam, vt notant Canoniſtæ in cap. finali. *de temporibus ordinationum*, Et in Cap. 1. *de Iudicijs.* Item Math. cap. 19. *Vos qui ſecuti eſtis me ſedebitis ſuper duodecim thronos iudicantes duodecim tribus Iſrael*, Ergo cum Dei au-

ctoritate

ctoritate iudicent, iurisdictionem habere dicuntur. Ideoque Canones condiderunt super directione vniuersalis Ecclesiæ. Cap. *Ipsi Apostoli*, *causa prima*, *questione prima*. *Cap. Sunt quidam*, *causa* 15. *quæstione prima*. *cap. Sexaginta*, *&* *cap. Canones*. *dictinctione* 16.

Item *Leo Papa*. 1. ad Episcopos Viennenses Epistola 87. *Hunc enim in consortio diuinæ vnitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari, dicendo, Tu es Petrus, & super hanc petrã ædificabo Ecclesiam meam, & illa verba dicta sunt in consortium indiuiduæ vnitatis.* Idem probatur in cap. *Loquitur* causa 24. quęstione prima, *Loquitur* (ait) *Dominus ad Petrum, Quod tu es Petrus &c. super vnum ædificat Ecclesiam, & quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam, parem potestatem tribuat, & dicat, Sicut me misit pater, ego mitto vos &c. tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem, sua auctoritate disposuit, hoc vtique erant cæteri Apostoli, quod Petrus fuit, pari consortio præditi honoris, & potestatis, Sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia Christi vna monstretur, &c.* Ita etiam probat *Io. Andreas* in cap. *ad deliberandum de Iudæis*. Item probatur, quia verba Christi, Ego pro te

oraui,

oraui, vt non deficeret fides tua, interpretata ſunt de Eccleſia, quia fides Eccleſiæ nunquam deficit, neque errare poteſt. Cap. A recta. in cauſa 24. quęſtione prima, & probat Archidiaconus in Cap. Ita Dominus. diſtinctione 19. & non intelligitur de fide Petri, qui in fide deficit, vt legitur Math. cap. 16. & in Cap. *Fidelior*, diſtinctione 19. Ergo ſicut iſta verba in Petrum directa, de Eccleſia intelligantur, ita & illa, Tu es Petrus de Eccleſia intelligenda ſunt.

Hanc ſententiam firmarunt *Sotus de Iuſtitia*, & iure lib. 10. Quęſt. 1. Artic. 4. Epiſcopus *Glagienſis in tractatu de auctoritate Papæ*, Cap. 3. multorum auctoritate freti.

D. *Baſilius* in conſtitutione Monaſtica dicit, *Chriſtus per verba, Paſce oues meas, Petrum conſtituit paſtorem Eccleſiæ, & conſequenter eandem poteſtatem dedit omnibus paſtoribus, atque magiſtris.*

D. *Ambroſius* in ſermone de Apoſtolis, ait, *Repetitum eſt à Domino, Paſce oues*, &c. *Et quas oues, & quem gregem, non ſolum tunc Beatus Petrus ſuſcepit, ſed & nobis ſuſcepit eas, & in illo nos ſuſcipimus omnes.*

D. *Auguſtinus. Chriſtus commendauit oues*

 vni

vni Petro, in Petro vnitatem commendauit, multi erant Apostoli: & vni dicit Pasce, &c. Omnes in vno sunt.

Leo Papa, in sermone 2. de Ascensione Domini, *Cùm Petro dixit, Tibi dabo claues, transiuit in alios huius potestatis ius, quodque vni commendatur, omnibus intimatur, & Petro dixit singulariter, quia cunctis Ecclesiæ Rectoribus Petri forma proponitur.*

Cyprianus in lib. 4. Epistola 2. *Vnam Christus in vniuersum instituit Ecclesiam, vt in ea multa membra diuisa sint, & Episcopatum vnum, sed multorum Episcoporum numerositate diffusum.*

D. *Bernardus ad Eugenium*, lib. 3. *Erras si vt summam, ita & solam institutam Apostolicam vestram auctoritatem existimas, si hoc sentis, dissentis ab eo, qui ait, Non est potestas, nisi à Deo.* Ad Roman. cap. 13.

Hucusque satis superque probatum credimus, Apostolos æqualem potestatem, tam ordinis, quam iurisdictionis à Christo habuisse; Nunc quomodo omnes Episcopi de iure diuino Apostolis successerint, demonstremus, quod per sequentes auctoritates, vlterius dubitari super hoc nequaquam poterit.

Consi-

Consilium *Antiochenum* sub *Iulio* 1. Cap. 21. disposuit, *Quod Episcopus Ecclesiam, quam primitus sortitus est à Deo, non derelinquat.*

D. *Ambrosius* super 1. Epistola ad Corinthios, Cap. 2. *Mulier debet velare caput, quia non est imago Dei*, & paulo infra, *in Ecclesia propter Episcopalem dignitatem non habeat caput liberum, sed velamine tectum, quia Episcopus, personam Christi habet.*

D. *August.* in quęstionibus noui Testamenti in fine. *Episcopi à Saluatore instituti sunt*, & Gratianus in Cap. 1. distinctione 21. *Episcoporum ordo à Christo est.*

Clemens in Epistola 3. in principio *Dominus mittit Episcopos vice sua, loco Apostolorum.* Item in Epistola 5 in principio *Episcopi Apostolorum vicem, presbyteri septuaginta discipulorum locum tenent.*

Alexander II. in Epistola 1. *Episcopi successores Apostolorum sunt.*

Anacletus in Epistola 2. ad Episcopos Italiæ. *Apostoli successores Episcopos constituerunt.*

Eleutherius Epistola vnica, *Successores Apostolorum sunt. Zepherinus* in Epistola. 1. idem.

Vrbanus in Epistola vnica, *Pro Apostolis sunt constituti Episcopi, quorum vices tenent*; cuius

 verba

verba per *Gratianum* poſita ſunt in diſtin-ctione 68. & in Cap. Videntes, in cauſa 12. quæſtione prima.

Anterus in Epiſtola 1. *Epiſcopi gradui Apo-ſtolico ſuccedentes.* *Fabianus* in Epiſtola 1. *E-piſcopi ſucceſsores ſunt Apoſtolorum.* Idem in E-piſtola 2. Idem dicit *Stephanus* in Epiſtola 2. & habetur in Cap. 1. diſtinctione 8.

Sixtus in Epiſtola 2. in principio. *Apoſtoli, & eorum ſucceſſores Epiſcopi,* quod etiam pro-bat *Iulius* 1. & habetur in Cap. Dudum. in cauſa 3. quęſtione 9.

Damaſus in Epiſtola 4. idem. *Leo* 1. in E-piſtola 87. *Apoſtoli, & eorum ſucceſſores tan-tum tradunt Spiritum Sanctum.*

Iohannes 3. *Succeſſores ſunt Apoſtolorum.*

Innocentius 3. in cap vnico. de ſacra Vncti-one, *Apoſtoli quorum Epiſcopi ſunt Vicarij,* & in cap. 1. de ſumma Trinitate, & fide Catholica; *Claues Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus à Chriſto datæ ſunt,* Idem in Cap. nono, de Pœnitentijs & remiſſionibus.

Ioannes 22. in extrauagante. *Epiſcopi, qui typum Apoſtolorum gerunt.*

Leo 10. in Concilio Lateranenſi, Idem di-cit, *Apoſtoli Epiſcopos diſtribuerunt.*

Concilium

Concilium Senense. in cap. antepenultimo, & *Concilium Coloniense* in principio, idem astruunt.

D. *Augustin.* super Psal. 44. *Episcopi in Ecclesia Dei vices Apostolorum gerunt*, sequitur idem *Burchardus* in lib.2.cap.35.

Propterea Episcopi appellantur *locum tenentes Christi, sicut erant Apostoli, Clemens* epistola 2. & epistola 3. *Legatione Dei funguntur, Anacletus* epistola 2. *Episcopos Christus nobis contulit, & sunt à Deo missi. Euarstius* epistola 1. *Sunt legati Dei*, & epistola 2. *Vice Christi legatione funguntur, Pius* epistola 1. *Oculi Dei sunt. Zephirinus* epistola 1. *Vt signa à Domino positi. Vrbanus* epistola vnica, *A Deo potestatem habent, & Dei sunt specula, Felix* 1. in epistola 3. in fine, *Dei plebem commissam sibi diligenter custodiant. Felix* 2. in decreto 7. *Episcopi sunt Throni Dei.* Idem *Fabianus* in epistola 1. & *Melchiades* in epistola 1. *Sunt oculi Dei, & columnæ Ecclesiæ, Iulius* 1. in Concilio Antiochensi, *Ecclesiam à Deo habent*, & in epistola ad *Orientales, Episcopi sunt pupillæ oculi Christi, Bonifacius* in Epistola 2. *Episcopatus nomen sanctum est.*

Ad hoc etiam videri poterunt *Hormisda*

in epiſtola 4. ad Hiſpanos in cap. 1. *Leo* in epiſtola 44. ad *Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum*, Idem in epiſtola 60. de *Maximo Antiocheno*, Idem in epiſtola 67. de *Protherio* Epiſcopo Alexandrino. *Leo* in epiſtola 70. & 78. ad *Arelatenſem* Epiſcopum. Multa etiam concilia, patrumque auctoritates adduci poſſent, quæ breuitatis cauſa omitto, eorum duntaxat adduxiſſe ſufficiat, quorum dicta, ſucceſſores illorum, cum quibus agimus, reprobare non poſſunt.

Huc pertinet illa omnium ferè Theologorum, Canoniſtarumque ſententia, quæ vult Epiſcopalem dignitatem, atque ipſos Epiſcopos de iure diuino exiſtere, quoniam tam in veteri, quam in noua lege, Epiſcopalis dignitas inſtituta reperitur, Pſal. 118. *Fiant dies eius pauci, & Epiſcopatum eius accipiat alter.* Petrus Apoſtolus Act. 1. Epiſcopatum eius accipiat alter. Paulus ad Timoth. 3. *Si quis Epiſcopatum deſiderat*, &c. Et ad Epheſios 4. *poſuit paſtores quoſdam doctores*; Item Apoſtoli in epitome conſtitutionum Apoſtolicarum, interprete *Carolo Cappellano Veneto*, de quibus poſt Canones Apoſtolorum Tomo 1. Conciliorum generalium in verſ.

diuini-

diuinitus inſtituta ordinum, Epiſcopatuum, & presbyterorum differentia.

Hanc ſententiam probant *Clemens* 1. anno Chriſti 93. in epiſt. 1. ad Iacobum. *Anacletus*, anno Domini 103. in epiſtola 2. de conſecratione Archiepiſcopi, & in epiſtola 3. *Ignatius* & *Origenes*, anno Domini 230. relati à Pigio controuerſia 11. de ordine eccleſiaſtico. *Anicetus*, anno Domini 167. in epiſtola 2. decretali ad Galliæ Epiſcopos. *Zepherinus* 1. tempore *Seueri* Imperatoris, anno Domini 203. in epiſtola 1. ad Epiſcopos Sicilienſes. *Vrbanus* 1. anno Domini 226. in epiſtola 1. decretali, de communi vita, & oblatione fidelium. *Anterus* tempore Maximini Imperatoris, anno Domini 237. in epiſtola ſua vltima ad Epiſcopos *Beticæ*, & *Toletanæ*. *Fabianus*, anno Domini 238. in epiſtola 2. ad omnes epiſcopos *Orientales*. *Melchiades* tempore *Conſtantini* Imp. anno Domini 311. in epiſtola 1. ad omnes epiſcopos Hiſpaniæ. *Siritius*. anno Domini 385. ad Chorepiſcopos per Africam. *Auguſtinus*, anno Dom. 400. in quęſtionibus Noui Teſtamenti in fine, *Iuſtinianus* Imperator, anno Dom 500. In lege, Si quicquam. C. de Epiſcopis, & Clericis.

Clericis. Synodus Constantinopolitana 4. & 8. vniuersalis appellata, super depositione Phobij, & restitutione Ignatij Archiepiscopi Constantinopolitani, tempore *Adriani* 2. anno Domini 872. in capite 14. *Burchardus*, anno Domini 1020. in decreto lib. 1. cap. 126. *Gratianus*, anno Domini 1151. in cap. 1. cap. In nouo. in cap. Videntes, distinctione 21. Ita tam in antiqua lege, quam in noua, continuatis temporibus, Episcopatum esse de iure diuino, omnes præfati Doctores comprobarunt.

Ad hoc etiam videri poterunt, *Ioh. Gerson* in libro de statu Ecclesiastico, in cap. de Statu Prælatorum, in 1. consideratione, *Io. Viguer* in Christiana institutione, de Sacramento ordinis verbo. 4. *Io. De selua* in Tractatu de Beneficijs, parte. 1. quęstione 2 numero 29. *Durandus* de concilijs, rubrica 4. num. 18. *Henricus Bootes* de Synodo Episcopi parte 1. num. 14. *Petrus Rebuffus* in Concordatis Galliæ in verb. *Parochias*; Omnes probant Episcopalem dignitatem de iure diuino existere.

Ita etiam fuit definitum in Concilio Mileuitano num. 13. In Concilio Africano cap.

cap.53. & *Io*.22. in ſua extrauagante, ſub data 10. Kal. Nouemb. anno Domini 1330. contra *Marſilium* de Padua, tenentem æquales eſſe presbyteros Epiſcopis, vbi declarat de iure diuino ſatis expreſsè conſtare, Epiſcopos præcellere. Idem declarauit *Martinus Quintus* in Bulla Concilij Conſtantienſis contra *Io. Wicleffe*, dicentem eſſe de iure humano, propter lucri, & honoris cupiditatem, provt teſtatur *Thomas Valdenſis* relatus ab *Alphonſo de caſtro*, in libro 6. de hæreſi in verbo, *Epiſcopi*.

CAP. II.

Episcopum Urbis Romæ nullam præeminentiam ab Apostolis habuisse, quam cæteri Episcopi non habuerint.

APostolos æqualiter institutos esse, atque inter Episcopos eorum successores, nullam præcedentiam dari posse, iam apparet; Nunc quomodone Pontifex quidem Romanus super alios præeminentiam habeat, ostendamus: Quod primùm probari credimus, quia nullo expresso iure illam ostendere hucusq; potuit: sed qui potestatem super alios se habere dicit, ostendere debet, quoniam sibi credendum non est; ita de iure Canonico disponitur in cap. Cum in iure. de officio delegati, præsertim in ijs, quæ suprema sunt, & concedi non consueuerunt, cap. Quod translationem. de officio legati cap. Quod super his. de fide instrumentorum. Sed circumscriptis Papæ confessionibus, quæ in iure Canonico assertæ fuere, super quibus tota Canonistarum, & Romæ scribentium multitudo

titudo fundari consueuit, Papa Romæ Episcopus ex nulla Apostolorum ordinatione superioritatem, quam prætendit fundare valet. Neque ex Patrum dictis probari potest, vt mox ostendetur, ergo asserta præeminentia admittenda non est.

Ex ordinationibus Apostolorum contrarium astrui potest, nam cum Prouincias & ciuitates Patriarchis, Archiepiscopis atque Episcopis distribuerint, præeminentiam, quæ cæteris data legitur, Papæ datam esse non apparet, sed negatiua probatur, vbi in scriptis non legitur, quod desideratur.

Clemens 1. in epistola ad Iacobum, *In illis Ciuitatibus*, ait, *in quibus olim, apud Ethnicos primi flamines eorum, atque primi legis doctores erant, Episcoporum primates poni, vel Patriarchas Beatus Petrus præcepit, qui reliquorum Episcoporum causas & maiora quoties necesse foret, negotia, in fide agitarent*: Et paulo post, *In illis autem ciuitatibus, in quibus dudum apud prædictos erant Archiflamines, quos tamen minores tenebant, quam memoratos primates, Archiepiscopos institui præcepit*: & infra: *In singulis vero reliquis Ciuitatibus singulos, & non binos, vel ternos, aut plures Episcopos constitui præcepit, qui*

non primatum, aut Archiepiſcoporum, aut Metropolitanorum nomine, quia matres Ciuitates non tenent, ſed Epiſcoporum tantùm vocabulo potirentur &c. quod totum in iure Can. poſitum eſt. in cap. In illis. diſtinctione. 80.

Anacletus ad Epiſcopos Italiæ epiſt. 2. *Leges diuinæ & Eccleſiaſticæ in Ciuitatibus Patriarchas, & Epiſcopos poni ſtatuerunt:* & paulo poſt: *Inſtituente Domino formam ordinandi Epiſcopos Apoſtoli tradiderunt* (de quo in cap. Sacroſancta. diſtinctione 22. & in cap. porro. diſtinctione 66.) *& Prouinciarum diuiſio alijs* ab Apoſtolis, *& Clemente facta à nobis renouatur.* Item in epiſtola 3. *Apoſtoli ſtatuerunt quis eorum primus, & potior eſſet.*

Calixtus 1. anno Domini 221. in epiſtola 2. cap. 3. *Primates, Metropolitani, & Epiſcopi nihil extra eorum prouincias, & Diœceſes agant, nec ordinent, nec iudicent, vt ab Apoſtolis & Patribus ſtatutum fuit,* & habetur in cap. Nullus primas. in cauſa nona, quæſtione 3.

In Concilio Antiocheno ordinatum eſt, *Nullum Epiſcoporum audere debere ex alia prouincia ad aliam tranſitum facere, & ordinare aliquos in Eccleſijs, aut proferre ad ſacrum miniſterium, Nec ab alijs illuc trahatur epiſcopus, niſi*

fortè

forte per literas rogatus abierit, non solum à Metropolitano, sed & ab his, qui cũ eo sunt omnibus ipsius prouinciæ episcopis: Quod si nullo inuitante inordinatè superueniat, & aliquos, vel ordinare præsumpserit, vel quoslibet actus illi ecclesiæ competentes, qui ad se minimè pertinent, vsurpare tentauerit; vacua quidem, & inania erunt omnia quæ gesserit; ipse vero huius indisciplinati ausus, & irrationabilis cæpti dignas pœnas expendat, tanquam depositus à sancto Synodo, & propter huiusmodi præsumptionem, iam prædamnatus.

Et in eodem concilio ordinatum est, Episcopum non debere in alienam irruere ciuitatem, quæ illi probatur non esse subiecta, neque in regionem, quæ in eius cura minime noscitur pertinere &c.

Io. 22. in sua extrauagante contra Marsilium de Padua, dicit: *Beatus Petrus post ascensionem, attendens, quod aucto grege, solus custodiæ gregis salubriter prouidere non poterat, gradus Patriarcharum, Primatuum, Archiepiscoporum, auctoritate Christi instituit, atq; distinxit.*

Leo x. anno Domini 1513. in concilio Lateranensi sessione 10. *Post Christi ascensionem Apostoli per singulas Vrbes, atque Diœceses episcopos distribuerunt, in partem solicitudinis*

 vocando,

vocando, & onera gradatim distribuendo per Patriarchas, Primates, &c.

Anicetus ad Episcopos Galliæ, *Nulli Archiepiscopi Primates vocentur; nisi illi, qui primas tenent Ciuitates, quorum Episcopos Apostoli & successores Apostolorum regulariter Patriarchas, & Primates esse constituerunt, nisi aliqua gens deinceps ad fidem conuertatur, cui necesse sit, propter multitudinem eorum, Primatem constitui, Reliqui verò, qui alias Metropolitanas sedes adepti sunt, non Primates, sed Metropolitani vocentur.*

Item ex Concilio Africano cap. 6. *Primæ sedis Episcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, vel summus Sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantum primæ sedis Episcopus. Vniuersalis autem, nec etiam Romanus Pontifex appelletur.*

Vnde *Pelagius* ad Episcopos à Constantinopolitano conuocatos scribit, *Nullus Patriarcharum vniuersalitatis vocabulo vnquam vtatur, quia si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur, sed absit hoc, absit à fidelis cuiusquam mente, hoc sibi velle quempiam arripere, vnde honorem fratrum suorum imminuere ex quantulacunque parte videatur. Quapropter charitas vestra neminem*

minem vnquam suis in epistolis vniuersalem nominet, ne sibi debitum subtrahat, cum alteri honorem offert indebitum.

Item *Gregorius Eulogio* Patriarchæ Alexandrino lib. 7. Epistola 30. *Ecce in præfatione epistolæ, quam ad me ipsum, qui prohibui direxistis, superbæ appellationis verbum, vniuersalem me Papam dicentes, imprimere curastis, quod peto, dulcissima mihi sanctitas vestra, vltra non faciat, quia vobis subtrahitur, quòd alteri plusquam ratio exigit, præbetur: Ego enim non verbis quæro prosperari, sed moribus, nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco, meus namque honor, est honor vniuersalis Ecclesiæ, meus honor est fratrum meorum solidus vigor, tunc ego verè honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur si enim vniuersalem me Papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur vniuersum, sed absit hoc, recedant verba, quæ vanitatem inflant, & charitatem vulnerant.*

Hæc omnia in quatuor capitulis 2. & 3. & 4. & 5. distinctionis nonagesimæ nonæ Canonizata sunt, quibus clarius nihil legi potest, ad probandam summam vanitatem, summamque arrogantiam Pontificum Romano-

manorum nostri seculi qui se vniuersales, Deique Vicarios immediatos vocari, & adorari volunt: Hanc veritatem antiquissima obseruantia ostendit, nam in Bibliotheca Vaticana in vetustissimis libris, omnes epistolæ ad Pontifices Romanos tantum inscriptæ leguntur, & ideo *Martinus* v. in Bulla Concilij Constantiensis, approbante eodem Concilio, cōdemnans illum articulum *Iohannis Wicleff* dicentis, non esse de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse superiorem inter alios, declarat erroneum articulum esse, si per Romanam Ecclesiam intelligatur vniuersalis Ecclesia; quamobrem Romana Ecclesia vniuersalis non est, neque alijs superior.

Omnia loca Patrum, quæ Diui Petri primatum super alios Apostolos probant, in illis verbis Math. 26. fundamentum habent, Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. Et tibi dabo claues &c, Et Pasce agnos meos, pasce oues meas &c. *Cyprian.* in lib. 4. epistolarum ad Pupianum, & lib. 1. ad Cornelium, *Origenes* homilia 6 super Math. *Hieronym.* lib. 1. contra Pelagianos, & super Math. cap. 16. *Ambrosius* sermone 47. *Augustin.* contra

Episto-

Epiſtolam Donati. *Chryſoſt.* ſuper Math. & in ſermone 3. de anniuerſario die aſſumptionis ſuæ, *Gregorius* in Moralibus, & in Regiſtro ad *Mauritium Auguſtum.* *Cyrill.* in lib. 2. ſuper Ioann. cap. 12. *Iohannes Eckius* in libro de primatu Petri, qui multa alia allegat, ſed illa verba alijs etiam Apoſtolis competere, iam in præcedenti capite probatum eſt, quæ iterum repetenda non ſunt.

Primatum Diui Petri non negamus, ſed non ab ipſo Chriſto Saluatore habuiſſe, verùm à cæteris Apoſtolis prælatum eſſe, ita & ipſi Pontifices Romani profitentur, qui in Decreto 1 diſtinctione 21. cap. 2. In nouo, ex dicta epiſtola ſecunda *Anacleti* Papæ, ita tranſcribunt, eiuſque dicta Canonizant: *In nouo Teſtamento poſt Chriſtum Dominum à Petro Sacerdotalis cœpit ordo, quia ipſi primo Pontificatus in Eccleſia Chriſti datus eſt, dicente Domino ad eum, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, & tibi dabo Claues regni Cœlorum: Hic ergo ligandi atque ſoluendi poteſtatem primus accepit à Domino, primuſque ad fidem Domini populum virtute ſuæ prædicationis adduxit. Cæteri verò Apoſtoli cum eo, pari*

 conſortio

consortio honorem, & potestatem acceperunt, ipsumque Principem eorum esse voluerunt, &c.

Ab Apostolis igitur Princeps & caput is deputatus est, qui primus potestatem à Christo Saluatore accepit.

Sed Pontifex Romanus Primatum super alios orbis Episcopos ex eo prætendere non potest, quod Petri successor in Episcopatu Romæ extiterit. Ita enim & *Ignatius*, qui Petri successor in Antiochia factus est, & alij eiusdem successores in illa sede prætendere possent, quoniam Petrus ibi primum suam sedem constituit, septemque annis habitauit. cap. Sacrosancta. distinctione 22. & ibi Concilium Antiochenum cum Apostolis celebrauit, & primò Christianorum nomen originem habuit, cap. Rogamus. causa 24. quęstione prima. Pręterea primatum multò rectius cæteris Patriarcha Hierosolymitanus prætendere posset, quoniam ibi Christus crucifixus est. Ibique Petrus post passionem Domini quatuor annis mansit, Quamobrem Concilium Nicenum Hierosolymitano Primatum tribuit, quoniam Hierosolyma fuit prima, *quia de Sion exibit lex*. Assertus igitur primatus Pontifici Romano

mano nullo modo conuenit, licet ex Decretis, & Decretalibus Romanorum Pontificum probetur, quæ ab hinc quadringentis annis nata sunt, & occasionem dederunt *Thomæ Aquinati*, & *Bonauenturæ* cæterisque Canonistis, vt de superioritate Papæ scriberent, quorum opinio à cæteris Canonistis intellecta est, in comparatione ad alios Christianos fideles, vel ad alias particulares Ecclesias sibi subditas, non autem in ordine ad totam vniuersalem Ecclesiam, & ita intelligunt cap. Quamuis, distinctione 21. & cap. Considerandum. distinctione 50. & cap. Hi qui, § Sed exemplo, eadem distinct. in vers. totius Ecclesiæ, id est particularium Ecclesiarum, prout etiam Turrecremata ibi, & super cap. Petrus. causa. 2. quęst. 7. in vers. Regni potestatem acceperat, videlicet quoad particulares Ecclesias, non autem quoad vniuersalem, quæ est corpus mysticum cuius Caput est Christus. Et quod non acceperit potestatem vniuersalis Ecclesiæ, probant omnes per confessionem *Gregorij Papæ*, vt nuper dixi. Eodemque modo respondetur ad cap. Fidelior. distinctione 50. quod verba illius textus ad gubernationem parti-

 cularium

cularium Ecclesiarum referuntur, similiter ad cap. Est aliud. causa 24. quæst. prima, quod verba illius textus non sunt referenda ad piscaturam vniuersalis Ecclesiæ, prout est corpus mysticum, cuius Caput est Christus; Aliter intelligendo, destruerentur omnes conclusiones iam firmatæ, omnia dicta Patrum supra allegata, & omnia Concilia inferius alleganda: Item ad cap. Puto. causa.2.quęst.7. cùm dicitur, quod potestas Petri est fundata super statuta vniuersalis Ecclesiæ, Respondetur, quod ille textus potius facit in contrarium: Neque ex eo sequitur Petrum esse Caput vniuersalis Ecclesiæ, quæ est corpus mysticum. Item ad cap. In illis. distinctione 80. cùm ibi dicitur in fine, quod vnus Apostolorum omnibus pręfuit, illa verba ad ministerium particularium Ecclesiarum referenda sunt, & ad cap. Non decet. distinctione 12. cum dicitur Ecclesiam Romanam esse matrem, hoc intelligi debere respectu Ecclesiarum sibi subditarum, non autem respectu vniuersalis Ecclesiæ: Ita etiam respondetur ad cap. Præceptis. distinctione 12, & ad cap. Quis nesciat. distinctione 11. & ad cap. Cùm Beatissimus. causa

24.quęst.

24. quæſt. prima, & ad cap. Si Petrus. ibidem, atque ad omnia iura, quæ Eccleſiam Romanam caput eſſe innuunt, videlicet intelligenda de capite aliarum particularium ſibi ſubiectarum, non autem reſpectu totius vniuerſalis Eccleſiæ, quam reſponſionem probant *Cardinalis Cameracenſis* in tractatu de poteſtate Eccleſiæ, *Io. Gerſon* in tractatu de poteſtate Eccleſiæ in pluribus conſiderationibus, atque ita etiam reſpondet *Æneas Syluius* qui fuit *Pius* ſecundus, & *Antonius de Roſellis* in particularibus tractatibus, quos ſcripſerunt, quod Concilium generale repreſentans vniuerſalem Eccleſiam eſt ſupra Papam. Quæ obiter à nobis dicta fuere, vt oſtendamus etiam Canoniſtas, & ius Pontificium profitentes, contra vera principia à nobis explicata reſiſtere non valentes, ita illos Canones interpretari, in quibus Romana Eccleſia in ſuo prætenſo primatu fundari credit.

Sed in Concilio Africano 4. cap. 6. Hoc expreſſe definitum fuit, quod primæ ſedis Epiſcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, vel Summus Sacerdos, aut aliquid huiuſmodi, ſed tantum primæ ſedis Epiſco-

pus, ergo hoc nomen Primatus, omnino in ipso Concilio abolitum est.

Hanc sententiam firmarunt omnes Theologi & Iuristæ qui tempore Concilij Basileensis scripserunt, de qua etiam inferius pertractabo.

CAP.

CAP. III.

Valdè decipi æstimantes Papam esse Vicarium Christi immediate.

SI igitur Romanus Pontifex potestatem in tota Ecclesia exercere non potest, quomodo Christi Vicarius Vniuersalis dici potest? quanam ratione Christi se Vicarium immediatum profitetur, si ipsemet Petrum Christi Vicarium esse asserit, cap. Ita Dominus. distinctione 19. & cap. In Nouo. distinctione 21. Mendax debet esse memor, ergo alibi centies mentitus est, cum se Christi Vicarium immediatum dixerit, vt in cap. Quanto, & cap. finali. de translatione Prælatorum, in cap. 1. Vt Ecclesiastica beneficia, in cap. Fundamenta. de electione lib. 6. in cap. Ad Apostolicæ. de re iudicata lib. 6. in cap. 1. De homicidio lib. 6. & in similibus locis vbi se Christi Vicarium immediatum asserit.

Interdum se Petri Vicarium esse acceptauit, atque professus est, vt in cap. Ego Ludouicus. distinctione 63. Cum Imperator Ludouicus

douicus dixit, *Ego Imperator Augustus statuo & concedo per hoc pactum confirmationis nostræ tibi Beato Petro Principi Apostolorum, & per te Vicario tuo Domino Pascali summo Pontifici* &c. Et Nicolaus Papa in epistola ad Michaelem Imperatorem, dicit: *Non quales Sacerdotes Domini sunt, sed quid de Domino loquantur est vobis magnopere præuidendum. Nec in Vicarijs Beati Petri Apostoli est vobis attendendum* &c. vt habetur in cap. Non quales. causa. 1. quæst. prima. Item *Gregorius* lib. 6. epist. 31. *Quoties cordis oculus* &c. Et paulo infra: *Atq; promitto tibi, & per te sancto Petro Apostolorum principi, atque eius Vicario Beatissimo Gregorio & successoribus ipsius*, &c. vt habetur in cap. Quoties. in causa prima, quæst. 7.

Sed Vicarius Vicarium facere non potest, vt expresse idem Pontifex sanciuit, in cap. Clericos. de officio Vicarij; & probant omnes Canonistæ, *Baldus* in Margarita Innocentij, in verbo Vicarius. Immola in Clementina 1. numero 19. & 22. de officio Vicarij. *Rebuffus* in practica Canonica in verbo, *Forma Vicariatus*, numero 73.

Sancti Patres, Episcopos loca tenentes Apostolorum, ipsorumque successores appel-

larunt,

larunt, quos in ſuperiori cap. 1. allegauimus. ipſe vero contra decreta Patrum, contra proprios Canones, quos profitetur, Chriſti immediatum ſe eſſe Vicarium millies appellauit.

Chriſtus in vita Militantem Eccleſiam Hieroſolymis rexit, eidem in Epiſcopatu *Iacobus Alphei* ſucceſſit. Ideoque Iacobi ſucceſſori magis conueniret, vt Chriſti Vicarius vocaretur. Sed rei veritate retenta, omnes Epiſcopi Apoſtolorum ſucceſſores, illorum locatenentes eſſe profitentur, prout ſancti Patres appellarunt, nulla ſuperior poteſtas inter ipſos danda eſt, quæ ab Apoſtolis ſcripta non reperitur.

IIII.

Quæ fuerit origo, & progreſſus Præeminentiæ Papatus.

CErta Epiſcopatus Romani principia hucuſque firmata fuere; nunc idem ex obſeruantia immediate ſubſequenti comprobandum eſt: Et quidem ſi primum quingentorum annorum ſtatum, à Chriſto Seruatore mortuo vſque ad *Iuſtiniani* tempora reuoluamus, nihil ipſum Pontificem in ſpiritualibus duntaxat, vltra ſibi ſubditos decreuiſſe apparebit: Illo enim mortuo, qui ęternæ vitæ viam aperuit, anno eiuſdem 34 currente, Iacobus minor Epiſcopus Hieroſolymitanus ordinatur, cui Beatus Symeon filius Cleophæ immediate ſucceſſit, eodemque tempore Beatus Marcus Euangeliſta Epiſcopatui Alexandrino præpoſitus eſt; qui cum anno 64. Chriſti currente, ab Alexandrinis occiſus eſſet, eidem Auianus Epiſcopus ſtatim ſuffectus eſt. Petrus Cathedram Antiochenam ſeptem annis rexit, vbi relicto Epiſcopo

copo Euodio, anno 43. Romam petit, Romanum Episcopatum suscepit: Cumque omnes conueniant circa viginti quinque annos gubernasse, iccirco Linum, & Cletum coadiutores sibi fecisse, dicendum est. Crucifigitur Petrus anno Christi 70. Clemens eidem successor deputatus est: Qui igitur quarto loco Episcopus Romanus creatus est, potestatem super alios, quam habuisse non constat, nouissimus ex antiquitate prætendere neque valet, neque debet: Facta immediatè subsequentia præcedentibus præstant euidentissimum intellectum. *L. Iulianus* §. proinde D. ad Senatusconsultum Macedonianum. L. Vxori. D. De legatis tertio: Et obseruantia immediatè subsequens ea est, quæ declarat quam auctoritatem Romani Episcopi, successores Petri in illa Cathedra habuerunt, hæc est virtus obseruantiæ subsequentis, ad Bartol. in L. missi Iuuatores num. 14. C. de exactorib. tributorum lib. 10. & in Concilio 59. Osaschus in decisione Pedemontana 136. in fine. Rota Romana in decisione 359 in illis quas vocant nouiter nouissimas. Sed Romani Pontifices nullam in hoc temporis statu neque in spi-

 ritualibus,

ritualibus,neque in temporalibus ſuper prę-
fatos Epiſcopos illo antiquiores, vel ſuper
eorundem ſucceſſores, vel ſuffraganeos ne
ſuper Eccleſiaſticis quidem, aut ſęcularibus
aliquid decreuiſſe, aut ſtatuiſſe legi poteſt.
Negatiua iſta probatur ex inſpectione om-
nium librorum, cap. Quoniam contra. De
probationibus. L. Si binæ, & ibi Baldus, &
Immola D. de iniuſto teſtamento. L. finali
D. de rebus creditis, nullibi hoc legitur, ne-
que ita decreuiſſe præſumi poteſt, cum eo
tempore Chriſtiani ab infidelibus occide-
rentur, ideoque in cryptis, terræque viſceri-
bus habitarent, vt per Platinam in Calixto
primo: Victor decimus quintus Epiſcopus
Romanus poſt Petrum, anno Chriſti 194.
ordinauit, quod Paſcha reſurrectionis in die
Dominico ab omnibus perpetuo celebre-
tur; Huic decreto immediatè contradixit
Polycrates Epiſcopus Epheſi, atque Poly-
carpus, Thraſea, Melitus, & Narciſſus Epiſ-
copus Hieroſolymitanus acerrimè oppug-
narunt: At Victor anno Chriſti 196. Con-
cilium Romæ ſuper hoc haberi voluit, vti
Bardus & Panuinius in Cronico huius anni
atteſtantur, ſed Concilij reſolutio vltra Pon-
tificatum

tificatum Romanum apud alios recepta non fuit. Idem Victor cum omni aqua, in casu necessitatis baptizari posse statuit. Huic etiam contradictum est, & pro contradictione firmanda in Alexandria Palestinæ Concilium conuocatum nihil conclusit, ita vt vtrumque postea in concilio Nicæno determinari opus fuit.

Disposita ab Apostolis, & in Concilijs allegata in præcedentibus capitulis, prohibent Romanum Episcopum vltra suum Episcopatū aliquid statuere posse; illius igitur decreta, & iussiones respectu aliarum Diœcesium contra expressa iura existunt: Si quis igitur asseueraret præmissa in alienis diœcesibus recepta esse, probare debet; ita probat Bald. in L. Rem non nouam num. 7. C. de iudicijs, quam doctrinam sequitur Rota, Mohedanus in decisione 1. de constitutionibus & decisione 8. de locato, & conducto. Nam communis est omnium doctorum sententia, quod dispositio nulla Romani Pontificis obligat, nisi fuerit vsu recepta, vt attestatur Ioseph. Ludouicus in conclusione. 54. & sequitur Rota Romana, Puteus decisione 281. libro 1. Deinde siquis superioritatem

rioritatem ſtatuentis fundare vellet, ſuperioritatis iure receptam eſſe, probari oportet, quoniam libertas præſumitur, atque Epiſcopatuum fines, & iuriſdictiones certæ ſtabilitæ fuere, quod tantum abeſt, vt probari poſſit, imo potius contrarium verius apparet: In Canone Apoſtolorum 38. diſpoſitum fuit, vt bis in anno Epiſcoporum Concilia celebrentur, vt inter ſe inuicem dogmata pietatis explorent, & emergentes Eccleſiaſticas contentiones amoueant, quod idem poſtea in Concilio Niceno ſtatutum fuit, in cap. 5. & in Concilio Antiocheno cap. 20. In exequutionem decreti Apoſtolici, Epiſcopi in ſuis prouincijs Concilia congregant, nulla Epiſcopi Romani interueniente authoritate, anno Chriſti 237. Fabianus Epiſcopus Romæ Concilium conuocat contra preſbyterum Nouatianum. In Arabia, anno 244. Concilium ab Orientalibus contra Beryllum celebratur, vbi Origenes illum conuertit. Anno 252. in Africa duo Cõcilia contra Nouatianum inſtituta ſunt, & ſuccedente anno 253. duo alia facta, alterum Romæ, alterum Antiochiæ contra Nouatianum; Deinde anno 254. in Carthagine,

gine, & Asia duo alia congregata super modo recipiendi hæreticos pœnitentes. In Africa, anno 255. alterum factum est propter Basilidem & Martialem Episcopos in hæresin lapsos; In Antiochia alterum, anno 264. cõtra Paulum Samosatenum hærisiarcham. Suessæ alterum, anno 302. propter Marcellinum Romæ Pontificem. Anno 313. tria celebrãtur; Alterum in Hispania, vbi 81. Canones conditi fuere; Alterum Romæ, vbi alij 24. Canones; Alterum in Carthagine propter Cecilianum Episcopum. Anno 315. secundum Arelatense Concilium conuocatur, & 37. Canones instituuntur: Anno 316. Ancyrę alterum, vbi 24. Canones facti. Item Concilium Cæsariense, vbi 14. Canones statuti fuere, prout ex Chronico Panuinij, & Chronologia Hieronymi Bardi hæc omnia probantur: Concilia igitur citra Romanum Pontificem congregata & expedita sunt.

Quod si præfata Concilia nequaquam generalia fuisse diceremus, cum ante Constantini tempora, persequutione contra Christianos feruente, Episcopis in vnum conueniendi licentia, & facultas non erat, vt dicit Isidorus in libro 6. Etymologiarum

rum cap. 16. translatiuè in cap. 1. distinctione 15. & habetur in Canone, Futuram, causa 12. quæstione prima; de quo scribit etiam Iacobatius in tractatu de Concilijs libro 1. articulo 10. vers. Vult dicere. glossa, Quod ante tempora Constantini.

Idem etiam post Constantini tempora, postque facultatem, Episcopos in vnum conueniendi, concessam aperiemus, nusquam enim (si contra veritatem obstinati esse nolumus) Romani Pontificis in generalibus Concilijs conuocandis, authoritatem interuenisse fatendum est.

Postquam enim Alexander Constantinopolitanus primus Episcopus Christi anno 317. creatus fuerat; Constantinus ipse, anno 325. Nicęnum Concilium congregari iubet, quo anno in Nicæni conformitatem, duo alia synodalia (teste Panuinio, & Bardo in allegatis locis) Romæ congregantur; Itaque nulla Romani Episcopi authoritas super Nicæno interuenisse potuit.

Ergo falsa est inscriptio Canonis, Sancta. distinctione 16. quæ scribit, authoritate Romani Pontificis octo Concilia roborari; Non enim confirmare dicitur, qui omnino illa

illa ſequi cogendus eſt, ex libro diurno, vbi profeſſio Romani Pontificis ſcripta eſt, ita legitur.

Sancta octo vniuerſalia Concilia, id eſt primum Nicænum, ſecundum Conſtantinopolitanum, tertium Epheſinum, quartum Chalcedonenſe, Item quintum Conſtantinopolitanum, & ſextum, Item *Nicænum ſeptimum, octauum quoque Conſtantinopolitanum, vſque ad vnam apicem immutilata ſeruare, & pari honore, & veneratione digna habere, & quæ prædicauerunt, & ſtatuerunt, modis omnibus ſequi, & prædicare; quæque condemnauerunt, ore & corde condemnare profiteor.*

Deus dedit in collectione Canonum, qui in Bibliotheca Vaticana conſeruantur, dicit, *profeſſionem fidei, quando quis in Romanum Pontificem promouetur, hanc octo Conciliorum obſeruandi promiſſionem continere;* quod igitur ſequi cogendus eſt, eiuſdem authoritate roborari non poteſt.

Item in Canone, Prima adnotatio. diſtinctione 16. Conciliorum authores nominantur; In Sardicenſi duntaxat duos Legatus Romanæ Eccleſiæ interueniſſe legitur, in cæteris nullos interfuiſſe apparet; Item in Sardicenſi Oſius præfectus fuit, atque Con-

 cilij

cilij autor legitur, legatorum autoritas nulla apparet, ex quo Romani Episcopi in conuocando illo, aut præsidendo facultas probari possit; Vt autem sensibus probatio subijciatur, verba Canonis transcribi placuit, quæ sunt videlicet, *Prima adnotatio Ancyranæ Synodi, quæ ante Nicænum fertur fuisse, sed propter autoritatem maiorem postponitur, in qua patres* xviij. *statuerunt Canones* xxiiij. *quorum autor maximè Vitalis Antiochenus Episcopus extitit.* Secunda Neocęsariensis, quæ *post Ancyranum, & ante Nicænum legitur fuisse, in qua patres sexdecim statuerunt Canones* xiiij. *quorum autor maximè Vitalis Episcopus Salaminius extitit. Tertia Gangrensis, quæ post Nicænum legitur fuisse, in qua patres* xvj. *statuerunt Canones* xx. *propter quasdam necessitates Ecclesiasticas, maxime contra Eustathium, qui dicebat, quod nullus in coniugali ordine positus, nec vllus fidelis, qui non omnibus renunciaret, quæ possideret, spem apud Dominum haberet; & multa alia venenosa, quæ enumerare longum est. Quarta Sardicensis, in qua patres sexaginta statuerunt Canones* xxj. *quorum autor maxime Osius Cordubensis Episcopus, & Vincentius Capuanus Episcopus, & Ianuarius Beneuentanus, & Calepodius Neapolitanus;*

Neapolitanus sanctæ Romanæ Ecclesiæ legati extitere. Quinta Antiochena, in qua patres xxix. statuerunt Canones xxv. quorum maxime autor Eusebius Palæstinensis Episcopus extitit. Sexta Laodicensis, in qua patres xxxij. statuerunt canones lix. quorum autor maximè Theodosius Episcopus extitit. Septima Carthaginensis, in qua patres ccxvij. statuerunt canones xxxiij. quorum autor maximè Aurelius Carthaginensis Episcopus extitit. Etiam Sanctus Augustinus Hipponensis Episcopus in eadem Synodo legitur fuisse, temporibus Honorij Augusti. Octaua Africana sub Theodosio minore Augusto, in qua patres ccxvij. recitarunt, & firmauerunt canones cv. qui per diuersa Concilia Africanæ Prouinciæ, temporibus Aurelij Carthaginensis Episcopi, leguntur esse conscripti. Nona Arelatensis, in qua Patres cc. statuerunt canones quatuor, quorum autor maximè Syluester Vrbis Romæ Episcopus, & S. Marinus Arelatensis Episcopus extiterunt, temporibus Constantini Augusti, sicut quidam asserunt. Decima item Arelatensis, in qua patres xix. statuerunt canones, quorum autor maximus S. Cæsarius Arelatensis Episcopus extitit. Vndecima item Arelatensis, in qua patres xvi. statuerunt canones. Duodecima item Arelatensis in Vico Hortensij,

 in qua

in qua patres xi. *statuerunt canones, quorum maxime autor* S. *Cæsarius Arelatensis Episcopus extitit. Tertiadecima item Arelatensis, in qua patres* xix. *statuerunt canones, quorum autor maxime Sarpidius Arelatensis Episcopus extitit. Quartadecima Arauricensis, in qua patres* xvi. *statuerunt canones, quorum autor maxime Hilarius Episcopus extitit. Quintadecima Epaunensis, in qua patres* xxvi. *statuerunt canones* xxxix. *quorum autor maxime Cæsarius Episcopus extitit. Sextadecima Agathensis, in qua patres* xxix. *statuerunt canones, quorum autor maxime Cæsarius Episcopus extitit. Septimadecima Aurelianensis, in qua patres* lxx. *statuerunt canones, quorum autor maxime Aurelius Arelatensis Episcopus extitit, tempore Clodouei Regis. Octauadecima item Aurelianensis, in qua patres* xxxi. *statuerunt canones, quorum autor maxime Melanius Rhedonensis Episcopus extitit. Nonadecima item Aurelianensis, in qua patres* xxx. *statuerunt canones, quorum autor maxime S. Albinus Andegauensis Episcopus extitit. Vigesima Aruernensis, in qua patres* xv. *statuerunt Canones, quorũ autor maxime Honoratus Brentensis Episcopus extitit. Vigesima prima Maticensis, in qua patres* xxi. *statuerunt Canones, quorum autor maxime Priscus Lugdunensis*

nensis

nensis Episcopus extitit. Vigesima secunda item Maticensis, in qua patres 86. statuerunt Canones, quorum auctor maxime idem Priscus Lugdunensis Episcopus extitit. Vigesimatertia Lugdunensis, in qua patres 18. statuerunt Canones, quorum auctor maximè Philippus Viennensis Episcopus extitit. Vigesima quarta item Lugdunensis, in qua patres 20. constituerunt Canones, quorum auctor maximè idem Priscus Lugdunensis Episcopus extitit.

In Canone 2. & 3. & 4. eiusdem distinctionis 16. Romanus Pontifex recepit quinquaginta tantum Canones Apostolorum, qui tamen auctoritatiue recepti non dicuntur, sed quoad illorum professionem tantum: Si Galli hodie Concilium Tridentinum reciperent, atque in illo Regno obseruari expediret, non ideo Tridentinum à Gallorum auctoritate dependeret.

Ex his dicendum est, Canonem, Synodum Episcoporum. distinctione 17. omnino falsum esse, quo disponitur generale Concilium absque authoritate Romani Pontificis celebrari non posse, eiusque falsitas ab inscriptione apparet; Nam Marcelli ad Maxentium Imperatorem est inscriptio, & tamen

men Epiſtola decretalis, vnde ille Canon collectus eſt, ne verbum quidem iſtius Canonis continet, ita vt Canon falſus in vno, in cæteris falſus præſumendus ſit. Epiſtola vero decretalis vnde Canon ille deſumptus eſt, ad Epiſcopos *Orientales* ſcripta eſt, vt legitur in primo volumine conciliorum impreſſionis Venetæ ſub anno 1585. fol. 455. ſed Canon vſu receptus eſſe nõ probatur, imò potius vſum contrarium inualuiſſe conſtat; Nam *Marcellus* vixit anno 304. & tamen an. 313. & 315. & 316. In Hiſpania, & in Carthagine Concilia abſque Romani Pontificis auctoritate facta fuerunt. Item ſecundum Concilium Arelatenſe, & Cæſarienſe, & ipſum Nicænum, vt probatum eſt; Item ſi ante Conſtantini tempora Epiſcopos congregari poſſe non permittebatur, quonam modo *Marcellus* ſuper huiuſmodi generali Conciliorum conuocatione ad Antiochenos Epiſcopos ſcribere potuit? Non entis nullæ ſunt qualitates, falſus igitur Canon, ſicut & ipſum ius Pontificium falſum eſt. Præterea Canon, Ideo, cauſa 2. quęſt. 6. falſus, & impoſtura eſt, vbi ex decretis *Iulij* Epiſcopi Romani ad *Orientales* Epiſcopos cap.

30.

30. ſcribitur, *Ideo huic ſanctæ ſedi præfata priuilegia ſpecialiter ſunt conceſſa, tam de congregandis Concilijs & Iudicijs, ac reſtitutionibus Epiſcoporum, quàm de ſummis Eccleſiarum negotijs, & vt ab ea omnes oppreſſi auxilium, & iniuſtè damnati reſtitutionem ſumant*, &c. Quoniam de priuilegijs pręfatis nō apparet, & vbi non conſtat de relato, non creditur referenti: Ab Apoſtolis æqualem Epiſcopis poteſtatem datam eſſe, ſatis ſuperque probatum fuit: Ex Canone Apoſtolorum à Romano Pontifice recepto, de binis Concilijs ſingulis annis celebrandis, nulla huius aſſerti priuilegij mentio facta eſt, minus in Concilio Nicæno: Quare *Iulij* Epiſcopi Romani arrogantiæ potius aſcribendum eſt: Imò eidem Canoni expreſsè ab *Orientalibus* contradictum fuit, vt legitur in Epiſtola *Orientalium* Epiſcoporum, ad *Iulium* primum in eodem primo volumine Conciliorum, fol. 623. Satis igitur apertè conſtare creditur, Pontificem Romanum in hoc primo ſtatu, ne in ſpiritualibus quidem ſuper alijs Epiſcopis, ſibi non ſuffraganeis, iuriſdictionem, ne in Concilijs quidem celebrandis, iure exercere voluiſſe.

Post Concilium Nicænum, vbi fides, & consubstantialitas stabilita fuit, alia Concilia contra Athanasium magnum Alexandriæ Episcopum, Nicæni acerrimum defensorem, cõuocata fuere, anno igitur 335. in Tyro Concilium ab Arianis cœptum, Hierosolymis postea completum est, alterum Concilium Mediolani ab eisdem catholicorum persequutoribus, anno 334. factum est. Alterum in Seleucia, & Cappadocia anno 359. contra Nicænum celebratum est, & anno 360. alterum ab eisdem Arianis Constantinopoli expeditum: Sed cum omnes Episcopi *Orientales* in Antiochia congregati, Athanasium, & alios condemnassent, atque excommunicassent, Athanasius ad Iulium Romanum Episcopum conuolauit, qui occasionem non prætermittens, causamque iustam amplectens, propter quam Ecclesia Romana super *Orientales* acquirere poterat, illum defendens, Constanti Imperatori qui Mediolani viuebat (Nam post mortem Constantini magni, altero Constantino eius filio, natu maiore in bello interempto Constantius, & Constans alij filij, Imperium diuiserunt, ille Arianis fauebat, Constans vero

Catholicis)

Catholicis) Hoc initium, hæc origo præeminentiæ Ecclesiæ Romanæ apparuit, Scribunt *Orientales* Episcopi literas ad Iulium Romæ Episcopum his verbis.

Domino Beatissimo, & honorabili Patri Iulio, Apostolicæ sedis venerabili Episcopo, Eusebius Theogninus, Theodorus, & Berinthus, vna cum reliquis fratribus & coepiscopis nostris in Antiochia congregatis. Licet circa omnes Romanam Ecclesiam sciamus esse munificam, & Apostolicam habere curam, & semper matrem existere pietatis, quamquam ab Oriente ad eam prædicatores pietatis aduenissent, tamen optaremus, vos nobiscum concordare, & quos à communione suspendimus, à vobis esse suspensos, & quos in ordine confirmamus Episcoporum, à vobis esse confirmandos, nec nos secundo loco habendos, cum ex his partibus ad vos vsque dogmatizantes Apostoli peruenißent: Nec enim nos vestris resultauimus, quamuis hæc agere potuissemus, quando Nouitianus à Romana pulsus est Ecclesia, quoniam, (vt iuxta vulgarem consuetudinem loquamur) inimicitias quærit omnis, qui vult recedere ab amico; Nec crimine carere potest, qui alterius excommunicatis, absque eius licentia, à quo communione est priuatus, in communionem susceperit, Canoni-

bus scilicet iubentibus, vt excommunicatus ab alijs, ab alijs non suscipiatur, viuentibus illis, à quibus communione priuatus esse dinoscitur; Nec solum in his nobis contumeliam irrogatis, sed etiam in his, quod Concilia nostra dissoluitis, neque rata sinitis esse: sunt namque à nobis, & maxime à totius Orientis Episcopis damnati Athanasius Alexandrinus, Paulus Constantinopolitanus; Marcellus Ancyræ, Asclepius Gazæ, Lucianusque Andrionopolites pro certis criminibus, quibus aduersarij sunt apud nos inscripti, quæ per præsentes huius Epistolæ latores, omnia sub certa relatione, vestræ innotescere non omittimus sanctitati; quibus agnitis, si nostris placitis magis, quam eorum machinationibus assentire, & ordinatos Episcopos in damnatorum loco firmare eligitis, pacem vobiscum, & communionem habere volumus; si vero aliter egeritis, & eis amplius, quam nobis assentire, iudicaueritis, contraria celebrabimus, & vobiscum deinceps, nec congregari, nec obedire, nec vobis vestrisque fauere volumus, sed per nos quicquid melius elegerimus, agere conabimur, &c.

Rescribit *Iulius* posse omnes ad Ecclesiam Romanam confugere, tanquam alijs superiorem, eiusdemque tenoris plurimæ aliorum Romanorum Episcoporum vrbis Ro-

mæ literæ ſcriptæ fuere, & quamuis effe-
ctum ſortiri non poterant, reſiſtentibus diſ-
poſitionibus conciliaribus ſuperius allega-
tis, & nullo vnquam tempore *Orientales* Ro-
mano Epiſcopo ſubiecti eſſe voluerunt; Ni-
hilominus Gratianus Monachus, omnium
bonarum ſcripturarum corruptor, ex illis
Epiſtolis vſu non receptis, Canones confe-
cit, quibus ſuperioritatem Romani Pontifi-
cis ſuper omnes probare voluit.

Iulius Epiſcopus vrbis Romæ *Conſtan-
tem* Imperatorem rogat, vt Concilium pro
Athanaſio conuocet, *Athanaſius* anno 326.
ad *Conſtantem* illum vocantem, proficiſci-
tur. De factione Ariana conqueri, bellum
contra fidem Apoſtolicam excitatum la-
mentari, & tum patris, tum magni Concilij
Nicęni, quod ille conuocauerat, eum in me-
moriam reducere cœpit, talia cum gemitu,
& lachrymis apud *Conſtantem* Imperato-
rem eloquutus, eum ad patrem æmulandum
excitauit. Nam ſimul atque iſta audiuit, lite-
ras ad fratrem ſcripſit, quibus perſuaſus
Conſtantius, mandatum dedit, vt Epiſcopi
tam *Orientis*, quam *Occidentis*, Sardicam
aduentarent: Hæc Baronius ſub Anno

 Chriſti

Christi 346. §. 5. & 6.

Quare huius Sardicensis Concilij conuocandi, nullæ Iulij Episcopi Romani partes extitere prout etiam idem Concilium fidem facit, in suis literis ad omnes Episcopos transmissis, quæ sunt in dicto primo volumine Conciliorum fol. 661. sub his verbis.

Sancta Synodus Dei gratia Sardicæ congregata, &c. Igitur gratia Dei cooperante, etiam ipsi Pijssimi Principes ex diuersis nos Prouincijs, & Ciuitatibus colligentes, sanctum hoc Concilium in Sardicensium celebrari vrbe præceperunt.

Quod etiam comprobatur, Nam *Osius* Episcopus Cerdubensis illi Concilio præfuit, non autem Legati Romanæ Ecclesiæ, *Osius* patronus Concilij cæteros interrogabat, quod & *Gratianus* affirmat, in ipso allegato Canone, Prima adnotatio. distinctione 16. & ipsi Canones 21. eiusdem Concilij demonstrant, qui omnes incipiunt, *Osius Episcopus dixit*, & in fine legitur, *omnes responderunt, Placet.*

Sed quia Romanus Episcopus semper præeminentiam super *Orientales* ambiens, ad comprobandum *Orientalium* Episcoporum fugam ad Ecclesiam Romanam, ita decerni procu-

procurauit, vt in ſeptimo Canone legitur.

Oſius Epiſcopus dixit, *Placet autem, vt ſi Epiſcopus accuſatus fuerit, & judicauerint congregati Epiſcopi Regionis ipſius, & de gradu ſuo eum deiecerint, ſi appellauerit qui deiectus eſt, & confugerit ad Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ, & voluerit ſe audire ſi iuſtum putauerit, vt renouetur iudicium, vel diſcuſsionis examen, ſcribere his Epiſcopis dignetur, qui in finitima & propinqua Prouincia ſunt, vt ipſi diligenter omninò requirant, & iuxta fidem veritatis definiant. Quod ſi is qui rogat cauſam ſuam iterum audiri deprecatione ſua mouerit Epiſcopum Romanum, vt è latere ſuo Presbyterum mittat, erit in poteſtate Epiſcopi quid velit, & quid æſtimet. Et ſi decreuerit mittendos eſſe, qui præſentes cum Epiſcopis iudicent, habentes eius authoritatem, à quo deſtinati ſunt, erit in ſuo arbitrio, ſi verò crediderit Epiſcopos ſufficere, vt negotio terminum imponant, faciat quod ſapientiſsimo conſilio ſuo iudicauerit.* Qui Canon à *Gratiano* compilatus fuit, in cap. ſi quis Epiſcopus in cauſà 2. quæſtione 6.

Scitu dignum exiſtimamus ex iſto Canone, vnde Romanæ præeminentiæ ſuper Orientales originem produci volunt, nulla

Sardi-

ratione probari illam posse, Quoniam huiusmodi Sardicensis Concilij Canones à sexaginta tantum Episcopis subscripti fuere, vt attestatur *Gratianus* in ipso Canone: Prima adnotatio, & ipsamet sexaginta Episcoporum subscriptio manifestat, quæ in fine dicti Concilij Sardicensis scripta legitur, & tamen in eodem Concilio, trecentos & septuaginta sex Episcopos interfuisse scriptum est, ita probat Baronius, sub anno Christi 347. in §. 5. his verbis: *Quamobrem in Socratis atque Sozomeni sententiam eundem putamus, vt conuenerint Sardicæ trecenti ex Occidente, ex Oriente verò septuaginta sex episcopi, ijdemque omnes Catholicæ communionis*, &c. Sed non subscribentes, consensum præstitisse non præsumuntur, & ita obstat regula in vtroq; iure firmata, factum non dicitur, quod à maiori parte factum non fuit, de qua in L. 1. D. Quod cuiusque vniuersitatis nomine, & in cap. 1. De his quæ fiunt à maiori parte capituli, & vtrobique scribentes adnotarunt. Neque iste Canon vnquam vsu receptus fuit, & ideo tanquam exorbitans à iure, originem Romanæ super hoc preeminentiæ nullo modo probat.

Si

Si ſecundum ſtatum à temporibus *Iuſtiniani* primi Imperatoris, nimirum ab anno Chriſti 526. per ducentos quadraginta ſex ſubſequentes, vſque ad tempora *Caroli Magni* ſpectabimus, Epiſcopos Romanos ſemper Imperatori ſubditos fuiſſe comperiemus ex *Platina*, & cæteris illorum facta, atque vitas ſcribentibus, atque ſingulos Romanos Pontifices electos à Cæſare confirmationem ſemper habuiſſe, ipſiuſque iuriſdictioni ſubditos fuiſſe legitur: Iuſſu *Theodoræ* Imperatricis *Vigilius* ſexageſimus Epiſcopus Romanus ligatus Conſtantinopolim tranſuectus eſt, carceribuſque mancipatus, & *Martinus* ſeptuageſimus quintus Pontifex iuſſu *Theodori Calliopæ* ligatus pariter, eodem tranſuehitur, atque in carceribus poſitus vt Platina, & cæteri in vitis vtriuſque atteſtantur.

Duo in hoc ſtatu pro Papatus progreſſu conſiderari poſſunt; Nam cum ex quodam religionis zelo Imperatores *Honorius*, & *Arcadius*, in eorum temporibus ante hunc ſtatum decreuiſſent, quod Epiſcopi in cauſis religionis iudicare poſſent, ſed reliquæ cauſæ tam ciuiles, quam criminales Eccleſi-

aſticorum

aſticorum, ad iuriſdictionem Imperatorum, ſuorumque officiariorum pertinerent, vt habetur in lege prima, in titulo de religioſis, in Codice Theodoſiano, Poſtea *Iuſtinianus* anno 13. ſui Imperij, ad preces Patriarchæ Conſtantinopolitani *Mennæ* conceſſit priuilegium clericis & Eccleſiaſticis, vt in cauſis ciuilibus quæ celeriter expediri poſſent, coram Epiſcopis ſuis conuenire deberent; ſed vbi illorum cauſæ altiorem indaginem requirerent, aut exactiorem cauſæ cognitionem, ad iudices ordinarios remitti oporteret, Idem quoque clericis in cauſis criminalibus, ſi delictum Eccleſiaſticum eſſet, indulſit, ſed quo ad reliqua crimina ſuæ iuriſdictioni ſubiectos remanere iuſſit, ita tamen vt ante pœnam corporalem, quoties infligenda eſſet, degradari deberent, quæ diſpoſitio latius apparet in Nouella 83. & Nouella 123. Olim boni Catholici & fideles, quando inter eos de aliqua re, lis, & controuerſia exiſtebat, fugiendæ litis prolixioris ergo, Epiſcopos ſuos arbitros conſtituebant, nullo modo de illorum candore, & integritate dubitantes, quamobrem poſtea per Conſtitutionem *Arcadij* & *Honorii* diſ-

poſitum

positum fuit, eos, qui ex consensu apud sacræ legis antistitem litigare voluerint, experiri illius in ciuili duntaxat negotio, more arbitri sponte residentis, iudicium posse, de qua dispositione habetur textus. L. Si quis ex consensu. C. de Episcopali audientia. Item alia eorundem Imperatorum constitutione sanctitum reperitur, eam Episcopali iudicio adhiberi reuerentiam debere, ac si à magistratibus illis, qui præfecti pretorio appellabantur, profectum esset, L. Episcopale C. de Episcopali audientia. Deinde tractu temporis *Iustinianus* voluit, vt ijdem tanquam delegati Imperatoris, aut quorundam Imperij magistratuum iudicare, atque si ab eorundem sententijs prouocandum esse videretur, prouocationes ipsæ ad Principem aut ad magistratum delegantem interponi deberent. Ex hoc igitur lento, & tardo passu Ecclesiastici percommodè dispositos gradus inceperunt ascendere ad magnam illam iurisdictionis authoritatem, quem habere iactant, quamque ex manibus Imperatorum per priuilegia extorserunt.

Præterea hoc tempore Papæ nomen, quod omnibus Episcopis commune erat,

ſoli Epiſcopo Romano dari incœpit, nam cùm inter ipſum, & Patriarcham Conſtantinopolitanum ſuper nomine *Oecumenici* controuerſia haberetur, vter eorum, vel vterque ita appellandus foret, atque controuerſia ſub Imperatore *Mauritio*, definita non eſſet, tandem ſub *Phoca* ordinatum eſt, vt Romano nomen Papæ adderetur; Conſtantinopolitanus verò ſemper ſe *Oecumenicum* inſcriberet, atque vocari continuatus eſt, videlicet, Archiepiſcopus Nouæ Romæ Conſtantinopolitanæ Patriarcha *Oecumenicus*, prout ex Panuinio, in vita *Bonifacij* tertij legi poteſt.

In tertio ſtatu, temporibus *Caroli* magni, progreſſus maximus in Papatu factus eſt, ipſe enim *Carolus* indiſtinctè in omnibus cauſis perſonas Eccleſiaſticas à ſuis Epiſcopis iudicari iuſſit. L. Volumus. C. de Epiſcopis & Clericis; & in capitulis *Caroli* magni etiam ſcriptum reperitur, ſub quo prætextu Eccleſiaſtici authoritatem ſibi aſſumpſerunt cognoſcendi de omnibus cauſis contra Imperatores, Reges, Principes, eorumque ſubditos laicos, provt videri poteſt in libris iuris canonici, in quibus paſſim inſertæ ſunt

ſenten-

ſententiæ à Pontificibus, eorumque deligatis latæ contra quaslibet perſonas, abſque exceptione alicuius qualitatis, & materiæ.

Et cùm Eccleſia Romana opprimeretur à *Longobardis*, & cum primùm a Rege Gallorum *Pipino*, ſuperato *Aſtulpho* liberaretur, Deinde à *Carolo* magno illius filio, extincto *Deſiderio* vltimo *Longobardorum* Rege abſolueretur, multas Ciuitates occupari cœpit, quas à Pipino donatas ſibi eſſe iactabat, & à *Carolo* confirmatas *Ludouicum Caroli* filium, ac in Regno ſucceſſorem, Ciuitatem Romanam cum toto ſuo Ducatu dono Eccleſiæ illi dediſſe, aliarumque Ciuitatum, atque locorum ab alijs prædeceſſoribus factam confirmaſſe aſſuerauit; Ita paſſim Eccleſia Romana patrimonium in temporalibus occupante, Papæ pro tempore exiſtentes, qui ſanctitatis ſpeciem præ ſe ferebant, viros doctos vndique conuocare incipiunt, atque ingentia illis munera, dignitateſque elargiri, vnde Romana Curia illuſtrari incœpit, doctiſque viris repleri, qui veluti ſydera in firmamento per totum mundum luceſcebant; Reges, & Principes in religionis ſimplicitate condentes, eorum regna, ſtatuſque E-

 piſcopi

piſcopi Romani orationibus commendant, eleemoſinas annuas dari iubent. At ille in libro Eccleſiæ Romanæ benefactores, eorumque dominia, & ditiones Eccleſiæ ſuæ commendata deſcribit (qui mos, etiam noſtris temporibus in conuentibus religioſorum obſeruatur, tabella quadam in valuis ſacrarij appoſita) vt orationes, ac preces pro illis deſcriptis, continuo fieri oſtenderet, atque alios ad hoc inuitaret. Alij ſimplices, credentes Romanam Eccleſiam vnum cum Deo facere conſiſtorium, ditiones ſuas illi ſuppoſuerunt, coronamque regiam à Romano potius, quam à Cæſare deſumere maluerunt. Cæteri omnes Reges, Principes, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & cuiuſcunque conditionis viri, pro habendis, à tot ſapientibus conſilijs, litium euitandarum ergò, aut Legatos, vel nuntios eo loci mittunt, aut literas ſcribunt, aliquando ad eoſdem, velut ad oracula conuolant, tantus concurſus cauſarum, & hominum in illos compromittentium, ad Romanam Curiam confluunt, vt aliquos ab ipſa multitudine, per pontem ſancti Angeli ad Palatium Papæ incedentes, ſæpe ſępius ſuffocatos eſſe, à pluribus practi-

cis

cis ſcriptoribus adnotatum fuerit.

Sed creſcente malitia, & ambitione Romana, quod religionis, & confidentiæ prætextu liberè, atque ſpontanea voluntate factum eſt, in neceſſitatem redigi incœpit, Papa enim illorum Regnorum, ac ſtatuum librum compoſuit, quem catalogum illorum appellari iubet, & ſingulis annis in cœna Domini, quæ ibi celebratur, alta voce perlegi mandat, ita poteſtatem in Reges, ac Principes arripuiſſe credit.

Ex Concilijs autem Principibus viris, atque Epiſcopis cæteriſque datis, ſiue per Epiſtolas, quas vocant decretales, ſiue per arbitria à iudiciarijs Imperialibus exequuta, ipſum ius Canonicum compoſuit, & quæ inter liberos homines, à nullam poteſtatem, iuriſdictionemque habente facta fuëre, ita in neceſſitatem rediguntur, quia ab habentibus omnimodam poteſtatem, ac iuriſdictionem facta proponuntur, ſuppreſſis omnibus illis, quæ veritatem huius negotij oſtendere potuerint, ſæpe etiam mutatis verbis, ita vt ex diuerſitate decretalium, atque *Originalium* vnde decretales compoſitæ fuë-

re, totum ius Canonicum falſum eſſe, confiteri opus ſit.

Sed quantum hic præeminentiæ Papatus progreſſus à veritate deuiet, nunc oſtendamus, & inprimis, quoad aſſertas donationes etiam *Caroli*, & *Ludouici*. Licet de illis atteſtentur *Iuo Carnotenſis* in parte 5. decreti. cap. 14. *Anſelmus* in collectione Canonum lib. 4. cap. 15. *Gratianus* in cap. Ego *Ludouicus*. diſtinctione 63. *Antoninus Florentinus*, Hiſtoriarum parte 2. titulo 16. cap. 1. §. 2. *Raphael Volateranus* in libro 3. *Baronius* Annalium Eccleſiæ Tomo 9. Anno 817. num. 10. & ſequentibus. Tamen nullus hiſtoricorum *Antonino* vetuſtior, harum donationum meminit, præter *Leonem Hoſtienſem*, qui & ipſe non multum anteceſſit; Et Commentitiam eſſe huiuſmodi *Ludouici* conſtitutionem optime probat *Carolus Molineus* in Commentarijs ad dictam diſtinctionem 63. Aſcribam eius verba, quoniam liber in quampauciſſimorum manibus verſatur.

Cæterum, inquit, his quæ ſupra dixi num. 72. *non obſtat, quod Platina in Benedicto* 11. *& poſt eum Sabellicus Æneadum* 8. *lib.* 6. *& Antoninus titul.* 13. *cap.* 1. *ſcripſerunt Conſtantinum* IIII.

Impera-

Imperatorem Constantinopolitanum, dicti Benedicti sanctione permotum, statuisse, vt quem deinceps Clerus, populus, exercitusque Romanus in Pontificem elegisset, nulla Constantinopolitani Principis, vel Italiæ Exarchi expectata auctoritate, vt antea fieri consueuerat (id enim ratum erat in creando Pontifice, quod Princeps confirmasset, vel qui eius vices in Italia gerebat) tum quia sanctitas Pontificis, solito more instituti (præter id quod vix nota esse potuit vltra mare, cum dictus Benedictus vix decem menses superstes fuerit) potius monere debuit ad obseruandum tam vtilem, & receptum morem, quam ad illum infrigendum, tum quia illum mutuati sunt à Bibliothecario auctore suspecto, quippe qui scripta sua consarcinauit ex quibusuis apocryphis, vel fictis scripturis in scrinio, vel Bibliothecis Papæ, quibus poterat, repertis, modo essent in Domini sui fauorem, tum quia prætensa illa constitutio Constantini (quam falsam puto) nunquam effectum sortita fuit, vt expresse attestatur Volateranus Anthropolog lib. 22. Ex cuius verbis potest deprehendi, vel modico tempore seruatam non fuisse, de qua satis constitit paulò post Benedictum in Canone apud Platinam.

Et per prædicta, minus etiam obstat cap. Ego

Ludouicus

Ludouicus distinctione 63. vbi dicitur Ludouicum primum Paschali ius elgendi, & inuestiendi Romanum Pontificem remisisse; Hoc enim à suspecto auctore processit, videlicet à prefato Bibliothecario, vt Platina in Paschali 1. et Sabellic. Ænead. 8. lib. 9. Volateran. Anthropolog. lib. 22. attestantur; Vt autem non est in fauorem Paparum credendum Bibliothecario, potentatus eorum fautori famuloque domestico; ita non est credendum Gratiano Monacho, qui & ipse affectibus, & ambitioni nouorum sui temporis Paparum, quantum potuit, fauit, nec aliunde, quàm a Bibliothecario dictum capitulum. Ego Ludouicus, transumpsit, & sic de alijs, qui tantum dictum eiusdem Bibliothecarij recitant, nec aliunde sciunt, nec examinant: Sed examinanda veritas lucescit in contrarium, quia vt supra num. 77. idem Paschalis à populo vi coactus Pontificium munus obire ante liberam auctoritatem Imperatoris, Legatos excusatum, & ad culpam non inficiandam, sed in populum transferendam misit ad Ludouicam Pium, qui, vt mansuetus erat, satisfactionem quidem accepit, sed cum increpatione cleri, & populi, & abiecto præcepto maiorum instituta pactaque seruandi, vtque cauerent, ne deinceps simili exemplo maiestatem læderent, vt expressè Platina & Sabellicus

bellicus *teſtantur. Quid autem magis contrarium aut repugnans eſt præfatæ ac ſuſpectæ Bibliothecarii ſcripturæ? Certè vel ex hoc falſitatis conuincitur, nec tamen etiam per ſe ſufficienti exemplo tantum, ſed etiam ex eo quod tempore* Eugenii, 11. *eiuſdem Paſchalis ſucceſſoris*, Ludodouico Pio *adhuc viuo*; Lotharius 1. *filius ejus in Imperij conſortium aſſumptus, Romæ politiam ordinauit, & Magiſtratus inſtituit, vt ſupra, num.* 78. *&* 112. *Hoc autem fieri non potuiſſet, ſi* Ludouicus Pius *Romam ipſam, caput Imperij, Papæ dediſſet. Quid quod* Volateranus *Geograph. lib.* 3. *prætenſam illam donationem longè aliter, quam* Gratianus *in dicto cap. Ego* Ludouicus, *refert: ſed ex ſcriptura quadam Apocrypha, quam in Bibliotheca Papæ ſeſe inueniſſe dicit, & ſic illius Bibliothecæ ſcripta, vnde tam Bibliothecarius; quam* Gratianus, *&* Volateranus *ſumpſerunt, ſibi ipſis non conſtat, & non ſolum quod domeſticæ, & è loco ſuſpecto, ſed vt variæ rejiciendæ ſunt: Et multò magis ex eo quod fides hiſtoriæ repugnat per prædicta, tum ex eo, quod* Volateranus *ibi Calabriam inferiorem, & ſuperiorem, & Ducatum Neopolitanum includit; & aliam, quæ conſtat ex fœdere diuiſionis inter* Carolum Magnum, *& Imperatorem*

Cōstantinopolitanum facta, Græcorum Imperio cessisse, & diù pluribusq; seculis, etiam post Francorū Imperium in Germanos translatum, vsq, ad Guilielmū Ferrabach *Normannum, Tancredi, Galli Normanni filium (qui è Neustria in Italiam trajicientes, Regnum Apuliæ, anno millesimo septimo, deinde Siciliæ, sacerdotibus tamen Græcis relictis, occuparunt) remansisse, vt etiam ex historiis eorum, qui tempore* Caroli Magni, *& deinceps vixerunt, & scripserunt, liquet. Porrò nec verum, nec verisimile est, quod* Ludouicus Pius *ea donasset, quæ non poterat, & nullo modo possidebat; & quæ pater ejus, vt ex dicto fœdere Græcorum Imperio reliquerat: Quin sicut Regnum Francorum alienare non poterat, ita nec Imperium, & regionis Imperij Occidentalis, quæ ex dicta diuisione* Carolo Magno, *& successoribus suis ceßerant, & multò minus Romam caput Imperij, Alberico in lege* 1. *De summa Trinitate, & L. benè à* Zenone. *C. de quadriennij præscriptione, & sic donatio* Ludouici, *siqua fuit, ex eisdem causis nulla eßet, ex quibus prætensa donatio* Constantini Magni, *quam Glossa, & Doctores communiter, qui eam factam esse putant tum non voluisse concludunt, vt Glossa Accursij in authenticis. Quomodo oporteat Episcopos,*

pos, in verbo, conferens generi, Collatione I. Petrus Perti *in proœm. instit num.* II. *& seq.* Signorolus *de homoleis in Consilio* 26. *sentit.* Bartol. *in proœm. &* Bald. *in titulo De nouo Codice faciendo in principio tenent, quod valere non potuit sine consensu populi; At qui prætensæ donationi* Ludouici *populus Romanus, nunquam, sicut nec prætensæ donationi* Constantini Magni *consensit : Nec solum non apparet de consensu, sed de dissensu constat, etiam per continuam populi Romani resistentiam tempore* Eugenij III. Adriani IIII. Alexandri III. Lucij III. Vrbani IIII. *vt satis supra; Tum nullus vnquam Papa inuentus est, qui se fundauit in prætensa donatione* Ludouici, *de qua in dicto cap. Ego* Ludouicus; *nec qui eam vnquam allegauerit, & licet* Nicolaus III. *in cap. fundamenta, de electione, libro* 6. *fabulam illam* Constantini Magni *allegauerit, tamen non facit fundamentum in ea, sed in verbis sacræ Scripturæ Pharisaico, & Iudaico more ad terrenum regnum detortis, vt ibi patet, & supra num.* 36. *Pariter* Gregorius VII. *qui tanto molimine Imperium Germanorum aggressus est, & attriuit nullo modo donationis cujusuis ab hominibus, siue à* Constantino Magno, *siue à* Ludouico Pio *meminit, (quæ*

tamen maximè in rem suam fecissent, si quid veri, aut verisimilis habuissent) & omninò non omisisset; sed tantum nititur verbis Christi ad regnum & Imperium totius orbis malè detortis sic & Benedictus XII. *contra* Ludouicum, *Bauarum Imperatorem, non alio titulo* Mediolani, *& alijs vrbibus Imperij Vicarios nomine suo instituit, quibusdam etiam vectigal imposuit, quam vel vnicus Christi Vicarius in terris, hoc est etiam in terreno totius orbis Imperio, & ante eum* Benedictus XI. *eodem modo nouos Magistratus Florentiæ constituit, vt apud* Platinam. *Præterea adhuc viuo* Ludouico Pio, *& biennio ante ejus obitum,* Gregorius IIII. *electus, nunquam voluit inire Pontificatum, nisi priùs sua electione ab Imperatore, legatisq; suis ad hoc destinatis, diligenter examinata, & confirmata, vt omnes testantur: Et addit* Platina, *quod præfatus* Ludouicus *hoc non faciebat ex superbia, sed ne jura Imperij amitteret, ergo falsum est illum prius ea remisisse Paschali, vt ex Bibliothecario refert* Gratianus, *& alij, quia* Gregorius IIII. *posterior est, & tertius à* Paschali I. *& idem* Ludouicus Pius *adhuc viuebat, & recens fuisset adhuc memoria dicti prætensi pacti inter* Ludouicum *&* Paschalem, *si quid tale fuisset. Nul-*

lus

lus autem Paſchalis fuit ante illum primum, Ludouici auctoritate confirmatum, nec alius ſequutus eſt, niſi forte poſt trecentos annos: Iam ergo non minus manifeſta eſt vanitas & impoſtura dictæ prætenſæ donationis, de qua in dicto cap. Ego Ludouicus, quam famoſa illius fabula Conſtantini magni, nec non prædictæ donationis, vel remiſſionis, Conſtantini III. vt etiam nunquam habuerunt effectum, nec leguntur Papæ acceptaſſe, vel vſi fuiſſe, ſed aliis ſibi efficacioribus præſtigiis, terrificiſque, & pertinacibus cenſuris & ſeditionibus ad contemnendum Imperium, & Regna concitatis. Hæc *Molineus*, Quibus conſentanea ſunt leges apud *Eutropium Longobardum* de ſtatu Romanorum ſub Græcis, & Francis.

Radeuicus Canonicus, Friſingenſis, de geſtis *Frederici* 1. Imperatoris lib. 2. cap. 56. & *Guntherus* lib. 10. ligurini, adhibito interprete *Spiegellio*, de Epiſtola *Frederici* primi ad Epiſcopos *Tranſmontanos* teſtantur, §. 3. *Coadunatis itaque in vnum omnibus Epiſcopis*, &c. Idem Imperator in Concilio Papienſi, cum reſediſſet, ait ad Epiſcopos, *Quamuis nouerim, officio, atque dignitate Imperij penes nos eſſe poteſtatem congregandorum Conciliorum, præſertim in*

tantis Ecclesiæ periculis (hoc enim & Constantinus, & Theodosius nec non Iustinianus, seu recentioris memoriæ Carolus magnus, & Otho Imperatores fecisse memorantur) authoritatem tamen definiendi huius maximi, & summi negotij vestræ prudentiæ, vestræque potestati committo. Apud eundem *Radeuicum* lib.2. cap 64. Cui concors *Ludouicus* Iunior, apud *Eutropium Longobardum* in libello de statu Romanorum, vbi legitur, *Erectus est itaque Regius honor contra Apostolicam dignitatem obijciens ei antiqua patrum statuta, Non licere Prælato excommunicare Episcopum, inconsulto Synodali Concilio, & quia Synodus non à Papa, sed ab Imperatore conuocari debet.* Iterum *Fredericus* apud *Auentinum* in Annalibus. *Imperator mense Maio, atque quinquagenalibus apud Virtemburgam conuentum Episcoporum, senatusque Imperij cogit. Coeunt frequẽtes Archymistæ, minores Pontifices præsides, Duces præfecti, Vidonem Pontificem Maximũ legunt, Paschalemq; vocant, Fit senatus consultum, nullum posthac Pontificem Maximum fore, nisi, qui more maiorum consensu Imperatoris crearetur, atque nuncius duntaxat Christi, Successorque Petri, non etiam Cæsareæ potentiæ pertinax æmulus esse velit. A singulis exactum iuramentum,*

ramentum, haud alium aut recepturos, aut passuros Pontificem maximum, etiam mortuo Imperatore. Albertus Crantzius Metropol. Saxoniæ lib. 6. cap. 18. *Sequutus est Imperator exempla maiorum, quod Henricus* III. *in non dissimili casu. Romanæ imploratus consuluerit Ecclesiæ (quod supra memorauimus) cum Leo 9. eligeretur, & ante illum Otho I destituto Ioanne, Benedictoque, Leonem suum restituit, ante consecratum. Iacobus Spiegellius Maximiliani* I. Imperatoris Secretarius, *Caroli* verò quinti Imperatoris consiliarius in commentar. ad lib. 10 *Guntherij, Sed & Maximilianus*, ait, *inuito Iulio indixit concilium. Radeuicus* de gestis *Frederici I.* Imperatoris lib. 2. cap. 70. & sequenti: describens Acta Concilij Papiensis, dicit, confirmatio Pontificis ab Imperatore petita; His verbis. *Confirmato, & recepto taliter in Papatu Victore, defertur ad Principem Sacerdotalis concilij sententia, qua venerabiliter suscepta, & approbata, Victor ad Ecclesiam vocatur, & magna solemnitate, ac frequentia cleri, & populi suscipitur, ipsique vt summo Pontifici, & vniuersali Papæ acclamatur.*

Propter seditiones intestinas rerum vices mutantur, & inferior, erectis cristis, dominatum

natum quærit, seruusque suæ spontis se facit, Vt de *Othonis III.* Imperatoris electione factum aliquando legimus, quæ legitima non fuit, quia leges, atque Imperij consuetudines violatæ fuêre, quod autem contra leges fit, id nullum esse indubitati iuris existit, de quo diffusè scribit *Melchior Haiminsfeldius Goldastus* in constitutionibus Imperialibus parte 1. fol. 72. impugnando dicta *Baronij* in tomo 10. sub anno *996.* § 57. & seq. Iccirco vanam esse Papæ prætensionem, asserentis in cap. Venerabilem. de electione, ius confirmandæ Cæsareæ electionis ad ipsum pertinere.

Nam quod *Baronius* sub dicto anno *996.* in §. 43. Ex literis particularibus singulorum Imperij electorum huiusmodi potestatem probari asserit, omnino resoluitur ex scriptis à *Leopaldo Bamburgensi* Episcopo Bamburgensi in libro de Zelo veterum Principum Germaniæ: *Principes Germani*, ait, *ad quos pertinet ius, & potestas eligendi Regem Romanorum, recognouerunt Innocentio tertio, vt patet in decretali sua, Venerabilem, quod ius, & auctoritas examinandi Regem Romanorum electum ad Imperium postea promouendum, pertineat*

ad

ad Ecclesiam Romanam, & cum prædictus Innocentius Papa in prædicta decretali Venerabilem asserat, ius & potestatem eligendi Regem Romanorum ab Ecclesia Romana ad certos Germaniæ Principes peruenisse. Neque id in historijs, siue Chronicis nostris, gesta Regum, siue Imperatorum continentibus, reperiatur expressum, satis dici potest, ipsum hoc asserere, propter recognitionem per aliquem ex Regibus, siue Imperatoribus Germanis, vel per Principes electores ipsi Ecclesiæ Romanæ super hoc factum. Sed tantum abest, vt pro huiusmodi verbis ius eligendi à Pontifice acceperint Principes Germani, vt contra ius confirmandi Pontificem tanquam in arbitrum compromiserint discordantes aliquando electores, aut vnus ex electis sponte recognouerit, quæ res ante Innocentium fuit inaudita; Item quia Imperatorum singularia facta maiestati imperij non præiudicant.

Et ideo electores sequentes melius informati, prædecessorum constitutiones, decreta, edicta, responsa cassauerunt, irrita fecerunt, & annullarunt, nulliusque penitus momenti, atque valoris esse voluerunt; Ita enim scribunt Electores Imperij ad *Benedictum* Papam ex Comitijs *Rhenensibus* §.2.

Cum alijs omnibus Principibus Electoribus

 Imperij

Imperij in vnum fuimus congregati, & diuersis deliberationibus, & consilijs præmissis, sicut diuinæ gratiæ placuit; omnes vnanimes fuimus, & nullo pœnitus discrepante pro defensione iurium, honorum, bonorum, libertatum, consuetudinum sacri Imperij, ac totius Christianitatis, ad cuius regimen, & defensionem idem Imperium principaliter ordinatum dignoscitur, disposuimus, & ordinamus pro nobis, & successoribus nostris, & firmauimus iureiurando per sacramenta corporaliter à nobis, & omnibus coëlectoribus nostris præstita, quod iura, honores, bona, libertates, & consuetudines dicti Imperij, & nostra nobis in Electione Imperij competentia, ex consuetudine, vel de iure, manuteneamus, defendamus, & illibata conseruemus, toto posse, & viribus nostris, contra omnes homines cuiuscumque præeminentiæ, dignitatis, seu status existant, & quod hoc non omittemus propter aliqua pericula rerum & personarum, aut præcepta, mandata, processus per quemcumque, aut in quemcumque modum & formam prolatæ sint, vel in antea proferantur contra Imperium, & nos, vel coëlectores nostros, per quæ dictis iuribus, honoribus, libertatibus, & consuetudinibus præiudicatum fuerit, vel in futurum posset præiudicium generari.

Et

Et in § ſequenti, clarius atque expreſſius habetur. *Cum iure caueatur, & conſuetudine, cuius contrarium memoria hominum non exiſtit, ſit rationabiliter introductum, & ſine cuiuſuis contradictione legitimè obſeruatum, ſicut etiam in prædicto Parleamento per nos, & alios coëlectores noſtros, præhabita diligenti deliberatione & diſcuſſione, ac conſilio multorum Principum, Comitum, Baronum & Nobilium eſt concorditer declaratum, & ſententialiter definitum; Quod vacante Imperio, is qui eligitur concorditer, vel à maiori parte Principũm electorum, pro Rege Romanorum ab omnibus habendus eſt; Et quòd nec nominatione, confirmatione, approbatione, conſenſu, vel authoritate ſedis Apoſtolicæ ſuper adminiſtratione bonorum, & iurium Imperij indigeat, ſiue titulo Regio aſſumendo; Quodque iura & bona Imperij adminiſtrare, & gubernare poterit, & de iure, ac conſuetudine, nulla ſedis Apoſtolicæ ſuper hoc licentia habita, vel obtenta.*

Plura ſuper hac re, & ad reprobationem decretalis, Venerabilem. de electione, ſcribit *Marſilius Patauinus* in defenſione pacis parte 2. Cap. 26. quæ videri poterunt, quia nihil noui addi poteſt.

Etiam videnda eſt Bulla Aurea *Caroli* IIII. Imperatoris, quæ impreſſa eſt in calce primi Tomi Conciliorum Coloniæ, Anno 1530. & à *Iacobo Cuiacio* emendata reperitur in Appendice librorum ſuorum de feudis, & à *Goldaſto* in Conſtitutionibus Imperialibus, parte. 1. fol. 96.

CAP. 5.

CAP. V.

In quibus Concilijs dispositum fuerit Papam non habere praeeminentiam super cæteros Patriarchas.

EX dictis hucusque satis clarè innotuit origo & progressus Papatus, nunc breuiter Concilia recensenda sunt, quibus sancitum fuit, vt sua Diocœsi contentus sit, & primatum super cæteros Patriarchas non prætendat.

Synodus Nicæna congregata anno Domini 325. in cap. 6. ita decreuit: *Antiqua consuetudo valeat, quæ in Aegypto, Lybia, & Pentapoli fuit, vt Alexandrinus Episcopus super his omnibus autoritatem habeat, quoniam & Romano Episcopo hæc eadem consuetudo est: similiter & apud Antiochiam, & in cæteris Prouincijs priuilegia conseruentur: Illud autem planum est, quod si quis sine consensu Metropolitani fiat Episcopus, hoc magna Synodus statuit, Episcopum esse non oportere.*

Confirmatur autoritate Ruffini decretum illud interpretantis in lib. 10. Ecclesia-

ſticæ Hiſtoriæ, apud Alexandriam, & in Vrbe Romæ, hæc conſuetudo ſeruetur, vt & ille Ægypti, & hic ſuburbicarum Eccleſiarum ſollicitudinem gerat. Itaq; ſuburbicarum tantum rerum Epiſcopatus Romani fines à ſancta Nicęna ſynodo poſiti fuere; ergo primatum ſuper totas mundi Eccleſias habere non poteſt.

Neq; in hoc aliqua præſcriptione ſe tueri valet; quia vltra quod, de poſſeſſione non oſtendit, neq; oſtendere poteſt, ſine qua præſcriptio non currit, vt ſunt regulæ juris vtriuſq; ſatis vulgares, cum nullo vnquam tempore ſuper cæteros Patriarchas juriſdictionem exercuerit, quod ſequenti capite clariùs exarabitur. Tamen Doctores firmarunt, quod fines Epiſcopatuum & Parochiarum præſcribi non poſſunt, ne juriſdictionis Eccleſiaſticæ termini confundantur cap. Super eo. de parochijs, quicquid ſit de finibus rerum temporalium Eccleſiæ. Gloſſa in cap. Quicunq; in verbo, *Prouinciarum*, cauſa 16. quæſtione 3. & in cap. Ex literis. de probationibus, & ibi *Aretin* in 3. notabili. *Innocentius* in cap. Cum cauſam. de probationibus, quem ſequitur *Felinus* in cap. Quia judicante,

dicante, in fine, de præſcriptionibus, probãtes Diocœſium, atq; Epiſcopatuum fines certos exiſtere, atq; inperſcriptibiles.

Item anno Domini 381. In prima Synodo Conſtantinopolitana, cap. 2. ita ſcriptum eſt. *Epiſcopi quibus ſua Diocœſis attributa eſt, ne in Eccleſias, quæ extra fines ſuos ſunt ſe ingerant, neue Eccleſias confundant, ſed ſecundum Canones, Alexandriæ quidem Epiſcopus ea quæ in Ægypto ſunt tantum, gubernet. Orientis vero Epiſcopi ſolum Orientem adminiſtrent. Conſeruetur q; ſuæ Eccleſiæ dignitas, quæ in Nicæna ſynodo declarata eſt, & Epiſcopi Aſiæ Diocœſis, ſiue Præfecturæ, ea tantum quæ in Aſia ſunt, gubernent. Qui in Ponto ſunt, ea quæ in Ponto tantum; Thracij verò ea quæ in Thracia: Epiſcopi autem, niſi aduocati, ne in alienam Diocœſim, & præfecturam ſe inferant, ſiue ad ſuffragia, ſiue ad alias vllas adminiſtrationes Eccleſiaſticas. Quod ſi prædictus Canon ſuper præfecturis, & Diocœſibus conſeruetur, perſpicuum eſt, quod cujuſq; Prouinciæ negotia vnaquæq; Synodus Prouincialis gubernabit, quemadmodum à Synodo Nicæna conſtitutum eſt.*

Præterea in eadem Synodo cap. 3. ita ſcriptum eſt; *Conſtantinopolitanus Epiſcopus habeat*

beat primatum post Romanum, quia ipsa est noua Roma, quæ dispositio relata est in Cap. Constantinopolitanæ, distinctione 22. & ita in jure Canonico confirmata est.

Item in Synodo Ephesina, quæ fuit anno Domini 431. ita sancitum fuit. *Visum est sanctæ & vniuersali Synodo, seruando vnicuiq; Prouinciæ pura, atq; integra sua jura, quæ ad ipsam pridem, & ab initio pertinent, secundum morem, qui jampridem obtinuit.* Et in concilio Chalcedonensi celebrato anno Domini 451. in cap. 28. ita definitum est. *Vbiq; leges sanctorum patrum nostrorum sequentes, eadem & nos definimus, ac statuimus de dignitate & præstantia huius sanctißimæ Constantinopolis nouæ Romæ; Etenim sede antiquioris Romæ, quia jam ciuitas illa regnabat, patres nostri primum honoris gradum tribuerunt, atq; eadem consideratione moti centum quinquaginta Deo amantissimi Episcopi, parem honoris gradum tribuerunt nouæ Romæ, sedi sanctissimæ merito decernentes, vt ea ciuitas, quæ tantum honorem adepta est; & sedes esset Imperij, & Senatum haberet, & parem dignitatis gradum obtineret, sicut antiqua sedes Imperij Romani obtinet, etiam in Ecclesiasticis negotijs parem illa honorem, & dignitatem obtineat*,

Præterea

Præterea in Synodo Constantinopolitana cap. 36. ita verbis expressis disponitur, *Renouantes quæ à centum, & quinquaginta patribus, qui in hac à Deo seruata, ac Regia vrbe conuentum egerunt, & sexcentum triginta, qui in Chalcedone congregati fuerunt, instituta sunt. Definimus vt Constantinopolis sedes parem habeat dignitatem cùm sede antiquioris Romæ, & in Ecclesiasticis negotijs æquè ac illa magnificetur.* Qui Canon in iure Canonico receptus est, in cap. Renouantes. distinctione 22. quamuis corruptè a *Gratiano* ibi collocetur. Sed hæc lectura est vera, quia *Iustinianus* Imperator in Authentica, de priuilegijs Archiepiscopi *Iustinianæ* primæ, ita scribit: *Multis ac varijs modis patriam nostram augere cupientes, in qua Deus præstitit nobis ad hunc modum venire, iubemus, vt eius sacrosanctus antistes non solum Metropolitanus, sed etiam Archiepiscopus fiat, & certa Prouinciæ sub eius authoritate, id est Dacia Mediterranea, Dacia Ripensis, Mysia superior,* &c. Et in fine dicit, *Archiepiscopum eius à Venerabili Concilio Metropolitanorum ordinari sancimus.*

Idem Imperator *Iustinianus* in authentica, de Ecclesiasticis titulis in §. *Sancimus*, ita dis-

posuit. *Papa Romanus prior omnibus Episcopis* sedeat, *& post illum Constantinopolitanæ sedis Episcopus, Archiepiscopus primæ Iustinianæ habeat sibi subiectos Episcopos Daciæ Mediterraneæ, & Daciæ Ripensis, item Præualenos, & Dardaniæ, & Mysiæ superioris, &* Pannoniæ, *sed & ille ab ipsis consecretur, atque eadem iura super eos habeat, quæ Papa Romanus habet super Episcopos sibi subiectos.* De potestate Imperatoris ita disponentis dubitari non oportet, nam eidem Papam suppositum esse, atque cæteros etiam Episcopos inuestiri ab illo debere, inferius ostendetur: Quamobrem si definitum est, parem in omnibus dignitatem habere, ergo primatum super Constantinopolitanum neque de iure, neque de facto prætendere potest.

In sexta Synodo Carthaginensi, cui sanctus *Augustinus* præfuit, in cap. 105. Aduersus Papam sanctitum est, *Ne ex transmarinis Ecclesijs ad ipsius sedem prouocaretur, si quis autem prouocare auderet, anathema sit.* *Gratianus* compilator decreti, dicit idem in Concilio Mileuitano cap. 22. dispositum esse, cuius verba refert in cap. Placuit, quod est 35. in causa secunda, quęstione sexta. *Placuit, vt*

Presbyteri

Presbyteri Diaconi, vel cæteri inferiores clerici, in causis, quas habuerint, si de iudicijs Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos audiant, & inter eos quicquid est finiant, adhibiti ab eis ex cõsensu Episcoporum suorum, Quod si & ab eis prouocandum putauerint, non prouocent nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates prouinciarum suarum. Ad transmarina autem, qui putauerit appellandum, à nullo intra Africam in communione suscipiatur. Hic est finis textus, *Gratianus* verò falsò addidit, *Nisi forte Romanam sedem appellauerint*; quæ verba & ipsi Pontifices deleri iusserunt, atque inaniter superaddita esse declauerunt.

Hanc sententiam Romanus Pontifex negare non potest, quoniam prædecessores Pontifices Romani expresse confessi sunt, se iuribus, & honoribus suis fratribus competentibus derogare non velle: & ita nullatenus vniuersales in Ecclesia vocandos esse professi sunt; atque ita *Pelagius*, & *Gregorius* in diuersis temporibus sanciuerunt, vt habetur in cap. Nullus. & cap. Ecce. distinctione 99. quorum confessiones ad verbum descripsimus superius in cap. 2.

Et quod pauperes Canonistę respondent,

Ideo vniuersalē se negasse, quia cuilibet particulari Ecclesię pręficiendus non est, Hoc est somnium, nugæ sunt. In ipso cap. Nullus. inter Patriarchas Romanum, & Constantinopolitanum agitur, vter eorum vniuersalis dici debeat, Respondet *Pelagius* II. *absit hoc, absit à mente fidelium, vt aliquis fratrum suorum honorem imminuere videatur*; ergo non agitur de præfectura particularium Ecclesiarum, vt fabulantur, sed de ipso nomine vniuersalis Ecclesiæ, quod fugiendum est. In ipso. cap. Ecce: *Gregorius* magnus ad *Elogium* Patriarcham Alexandrinum rescribens, conqueritur, quod Papam vniuersalem appellauerit, quia cæteris Patriarchis subtraheretur, si vni, plusquam ratio exigat præbeatur.

CAP. VI.

Resoluuntur, quæ aduersus caput præcedens ex Concilijs Lateranensi, & Florentino opponuntur.

QVicunque voluerit inter vos esse primus, erit vester seruus, Math.20. Cum igitur Romanus Pontifex aduersus tot sacrosanctorum Conciliorum iussa cæteris paribus præesse attentauerit, ipsi Deo præesse voluisse colligitur, iuxta tradita per D. *August.* super Psalm. *Noluit Christus regnum terrenum cum superbia*, & parum infra, *Quoties hominibus præesse desidero, ipsi Deo præesse contendo.*

Iam stabilitæ erant diocœses, singulis Patriarchis sua iurisdictio priuatiuè ad alios demandata fuerat, ipsum Concilium Nicænum tanquam Euangelium obseruandum esse, probat textus cap. 1. distinctione 15. pro quo multa allegat Cardinalis *Iacobatius* in tractatu de Concilio, lib. 1. in §. Nunc igitur videamus: Sed *Innocentius* tertius con-

gregato ob alias caufas Concilio Lateranenfi, Anno Chrifti 1215. vt fe cæteris Patriarchis fuperiorem faceret, fingens Patriarchas Conftantinopolitanum & Alexandrinum fuper præcedentia inter femetipfos contendere, ita in ipfo Concilio definitum effe fcribit in Rubrica de dignitate Patriarcharum Cap. 5.

Antiqua Patriarchalium fedium priuilegia renouantes facra vniuerfali Synodo approbante fancimus, vt poft Romanam Ecclefiam, quæ difponente Domino fuper omnes alias ordinariæ poteftatis obtinet principatum, vtpote mater vniuerforum Chrifti fidelium, & magiftra, Conftantinopolitana primum, Alexandrina fecundum, Antiochena tertium, & Hierofolymitana quartum locum obtineat, feruata cuilibet propria dignitate, ita quod poftquam eorum Antiftites à Romano Pontifice receperint pallium, quod eft plenitudinis Pontificalis officij infigne, præftito fibi fidelitatis, & obedientiæ iuramento, licenter & ipfi fuis fuffraganeis pallium largiantur, recipientes pro fe profefsionem Canonicam, & pro Romana Ecclefia fponfionem obedientiæ ab eifdem. Dominicæ vero Crucis vexillum ante fe faciant, vbique deferri, nifi in vrbe Roma, & vbicunque fummus Pontifex præ-

fens

ſens extiterit, vel eius Legatus, vtens inſignijs Apoſtolicæ dignitatis: In omnibus autem Prouincijs eorum dignitati ſubiectis ad eos, cum neceſſe fuerit, prouocetur, ſaluis appellationibus ad ſedem Apoſtolicam interpoſitis, quibus eſt ab omnibus deferendum.

Hic Canon Concilij Lateranenſis poſtea in eiſdem verbis poſitus eſt à *Gregorio* nono in ſuis decretalibus, ſub titulo, De priuilegijs, in cap. 23.

Sed reuera hic Canon falſus eſt, impoſtura eſt, omnes enim hiſtorici illius temporis aperierunt portas, vt ingrederetur gens iuſta cuſtodiendi eius veritatem, iuxta ſcripta per *Eſaiam* in cap. 26. ſcripſerunt quidam Patriarcham Alexandrinum ad illud Concilium non veniſſe *Æmil.* lib. 6. *Porrò*, ait, *hoc Concilium duodecimum generale cenſetur, quod omnium, quæ vnquam fuerunt in vniuerſa Eccleſia celeberrimum extitit, præter Romanum Pontificem, qui Concilio præfuit, ex quatuor orbis terrarum nobiliſsimis Patriarchis, duo interfuere, Byzantinorum, ſcilicet Hieroſolimitanorum, Antiochenſis excuſatione morbi vſus, ſacerdotes, Legatos ſanctos viros miſit, Alexandrinus ab Ægyptis vetitus eſt proficiſci ſed è ſuis oratores miſsi*

ſunt

ſunt. Huic narrationi conſentiunt *Blondus* in lib.6.decade 2.in fine, *Platina* in vita *Innocentij, Naucler.* generat.41. *Sur.* tomo 3.generali Conciliorum in Chronico hæc omnia narrat. & ſequitur *Petrus Maturus* in Annotationibus ad D.Antoninum, in titulo 19.§. 6. verbo, Epiſcopos, ſub *Innocentio* tertio, Anno Chriſti 1215.

Si igitur *Alexandrinus* ad Concilium non venit, quomodo inter ipſum, & Patriarcham Conſtantinopolitanum de præcedentia tractari potuit? De oratorum autem miſſorum mandato ad tractandum de cauſa tam graui, apud acta Concilij nullo modo conſtat, vt in re tam maximi pręiudicij conſtare debebat: Neque pro mandato, etiam poſt mille annos præſumendum eſt, prout poſt Iuriſtas in Rota Romana concluſum eſt, *Verallus* deciſione 250. parte 2.

Præterea neque D. *Antoninus* in hiſtoria huius anni, qui omnia per *Innocentium* tertium geſta, atque omnia huius generalis Concilij acta ſcripſit, huius ſententiæ aliquid meminit; neque ipſe *Innocentius* quartus, qui omnes decretales *Gregorij* noni interpretatus eſt, aliquid ſuper iſta decretali, quæ

incipit,

incipit, Antiqua ſcribere attentauit.

Item hæc antiqua diſcordia ab *Innocentio* tertio aſſerta, iam definita fuerat in Concilio Conſtantinopolitano cap. 5. vt ſuperiori capite exaratum eſt, & illius ſententiæ vigore Patriarcha Conſtantinopolitanus ita etiam à Iuſtiniano Cæſare confirmationem, ſpeciale priuilegium atque poſſeſſionem obtinuit: Cur igitur ea quæ ſemel ſancita fuerant, & diuturno tempore obſeruata, iterum in dubium reuocari oportuit? Hæc igitur *Innocentij* 3. ſententia in Concilio generali dicta, potius ad ſe inaniter ſuper alios extollendum contra decreta allegatorum Conciliorum, contra proprias prædeceſſorum Pontificum confeſſiones promulgata dicitur, quàm vt inter prædictos Patriarchas, præſertim altero abſente, & inaudito fieri potuiſſet, quamobrem ipſo iure nulla extitit, prout ita diſpoſuit Imperator *Alexander*, & habetur in lege prima, Cod. Quando prouocare non eſt neceſſe, his verbis: *Latam ſententiam dicitis, quam ideo vires non habere contenditis, quod contra res prius iudicatas, à quibus prouocandum non eſt, lata ſit.* Pontifex Romanus cæteris Patriarchis ſuperior

non eſt, ſed per dictum Canonem ſe ſuperiorem conſtituit, vt obedientiam ac fidelitatem, contra expreſſa Concilia, illi iurent, ideo ſententia contra Concilia lata, non valet.

Hæc multo magis procedunt ex defectu poteſtatis, Nam ipſe *Innocentius* 3. de præcedentia Patriarcharum iudicare non poterat de anno Domini 1215. cum *Leo* octauus ſub anno 963. omnibus iuribus Eccleſiaſticis in perſonam *Othonis* primi, & ſucceſſorum in Concilio generali renuntiauerit ſolenniter, vbi Papam, & cæteros Eccleſiæ Prælatos à *Cæſare* inueſtituram petituros eſſe, diſpoſitum eſt, vt in ſequenti capite pleniſſimè oſtendetur, ergo quatenus de huiuſmodi præcedentia iudicare neceſſarium fuiſſet, non ad Pontificem Romanum, ſed ad ipſum Imperatorem pertinebat, ergo aſſerta *Innocentij* ſententia tanquam à priuato lata remanet, & nullius valoris eſt, de quo poteſtatis defectu omni perpetuo tempore, & à quocunque opponi poteſt.

Item hæc aſſerta ſententia, quatenus Romanus ſuperiorem ſe conſtituit, nunquam in Patriarchatu Conſtantinopolitano recepta

cepta eſt, quoniam *Marcellus* ſecundus Patriarcha Conſtantinopolitanus centeſimus primus, qui in ipſo Concilio ſub *Innocentio* interfuit, vndecim menſes cum Romano vixit, vti atteſtantur *Panuinius* in hiſtoria Eccleſiaſtica huius anni, & *Hieronymus Bardus* in Chronologia eiuſdem nunquam in Græciam rediјt, nullus in Græcia Papæ ſuperioritatem approbauit, nullus ſucceſſor Patriarcha Papæ Romano fidelitatem iurauit: ſed lex quæ vſu recepta non eſt, non ligat, ergo præcedentem ſtatum reuocaſſe non dicitur, ita fuit definitum in Rota Romana, vt probat *Ioannes Mohedanus* in deciſione 1. de conſtitutionibus. Et *Verallus* in deciſione 203. parte 3. & in tantum vſus receptio eſt neceſſaria, vt neque per decretum irritans ignorantes efficiantur, niſi noua diſpoſitio vſu recepta fuerit, *Puteus* in deciſione 281. verſ. Et quis tenetur, parte 1. Præterea continuatio actuum præcedentium iuxta antiquum ſolitum ſufficit, ex qua reuocatoriæ legis non vſus inducitur, etiam citra legis latoris ſcientiam, curſumque decenni quæ ad auferendam à noua lege vim ſatis ſunt, vt probat *Felinus* in cap. 1. de treu-

ga & pace: Hæc fortius procedunt cum lex noua correctaria ſit veteris iuris, ſed hic aſſertus nouus *Innocentij* canõ, diſpoſita in Cõcilio Nicæno, alijſq; vt ſupra relatis corrigeret, quo caſu etiã ſi nouus canon, nouaq; lex in corpore iuris inſerta eſſet, nullatenus ligat, niſi vſu recepta ſit, quam ſententiam probant, *Summa Armilla*, in verbo locatio. num. 5. *Rochus* de curte, in tractatu de conſuetudine, ſectione 6. num. 9. verſ. item infertur. *Franciſcus Sarmiento* in tractatu de redditibus Eccleſiaſticis parte 1. cap. 2. num. 20. & in Rota Romana deciſum eſt, quod, qui Canonem vnius Concilij per alterum reuocatum eſſe dicit, noui Canonis effectum, quodque receptus fuerit, probare debet. *Io. Mohedanus* in dicta deciſione prima, de conſtitutionibus.

Quare cum Patriarcha Alexandrinus Romam non venerit, eiuſque miſſi legati ad hoc mandatum non habuerint, & Pontifex Romanus in alienam meſſem, poteſtate carens, falcem immiſerit, ſequè ſuperiorem fecerit, contra decreta Conciliorum, quæ tanquam Euangelia obſeruanda ſunt, nec ipſa diſpoſitio vſu recepta fuerit, Quis vnquam

quam ſani iudicij vir, hunc aſſertum Canonem impoſturam eſſe non affirmabit?

Quòd vero per Concilium Florentinum diſpoſitum aſſeritur, in quo Cõſtantinopolitanus Papæ obedientiam præſtitit, ſcriptis in præcedenti capite, nullo modo repugnat: Nunquam enim in Eccleſia Græca receptum fuit. Quomodo recipi potuit, quod ab *Eugenio* Romano iam depoſito, in ipſo Concilio Florentino nulla auctoritate congregato, definitum fuit? Quomodo recipi quod ab Imperatore Orientis *Ioanne Palæologo* à Turcis de ſua ſede expulſo, atque profugo facto, in Italiam pro auxilio habendo (vti omnes illius temporis hiſtorici atteſtantur) impetratum eſt? Quomodo recipi, quod in Conciliabulo Florentino, tribus tantum Epiſcopis Græcis, Nicæno, Epheſino, & Ruſſio interuenientibus, attentatum fuit? Quomodo recipi, ſi Epiſcopus Epheſinus, qui cõcluſionem cum Latinis ſuſtinuit, inſatisfactus, inde diſcedens per totam Græciam contrarium prædicare incepit? & quod Epiſcopus Nicænus *Beſſarion* nuncupatus, & Archiepiſcopus *Ruſſius Iſidorus Monachus* ſancti *Baſilij*, propter Cardi-

 nalatum

nalatum ab *Eugenio* obtentum, ſuffragia prę-ſtiterunt, illiuſque poteſtati colla ſubiece-runt; Denique quomodo recipi potuit, ſi *Ioſephus* Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui cum ipſo Imperatore *Palæologo* profugi in Italiam venerant, infra paucos dies in eodem Conciliabulo mortuus eſt, & in Eccleſia ſanctæ *Mariæ Nouellæ*, vbi illud celebrabatur ſepultus fuit, ita fidem facit *Antoninus* Florentinus in ſuo hiſtoriali, titulo 22. ſub anno Domini 1438 in §.21. His verbis, *Patriarcha Conſtantinopolitanus plenus dierum paulò poſt in fide Romanæ Eccleſiæ migrauit è ſeculo, ſepultus in Eccleſia ſanctæ Mariæ Nouellæ.* Nec ex eo Florentinum in Græcia receptum dici poteſt, quod *Palæologus* Byzantium reuerſus, iuxta conuentiones cum ſuis auxiliarijs in Italia factus, Florentinum à Græcis recipi iuſſerit, dum *Beſſarionem* creauit Patriarcham Conſtantinopolitanum, quoniam inde quàm plurima mala ſubſequuta fuiſſe, atteſtatur Turcorum chronica lib. 3. Schiſma in ipſo Patriarchatu factum fuit, *Beſſarioni* nunquam vti Patriarchæ obeditum eſt; Nam defuncto *Ioſepho*, qui 128. Patriarcha Conſtantinopolitanus

litanus numerabatur, ipſi Græci *Gennadium* 129. Patriarcham crearunt, atque obediuerunt, anno Domini 1452. quo tempore Turcæ Conſtantinopolim occuparunt, Mox anno 1460. defuncto *Gennadio*, Græci *Iaſſonium* Monachum 130. Patriarcham elegerunt, vt eſt in Chronologia temporum *Hieronymi Bardi*, vbi etiam ſubſequentes Patriarchas vſque ad noſtra tempora calculat: Ex quibus intelligere licet, Florentinum nulla auctoritate munitum, in nationis Gręcorum præiudicium factum, nunquam à Græcis receptum eſſe. Et licet poſt *Beſſarionem* alij Latini à Pontifice Romano Patriarchæ Cõſtantinopolitani creati fuiſſent, hoc tamen illorum nationi, atque verò Patriarchatui obeſſe nullo modo potuit, qui nunquam Florentinum Conciliabulum receperunt.

Nunc ſupereſt Florentini nullitatem deſcribere, atque in primis quantum ad præfatum Patriarchatum relationem habet: Non potuit *Ioſephus* illi præſtare conſenſum, quoniam Prælatum ſuæ Eccleſiæ nullo modo præiudicium facere poſſe diſpoſitum eſt, Abbas in cap. Verum, num. 28. & ibi Felin.

num.

num.6.& 8.de foro competenti, Præpositus in cap. Verum, num. 12. de conditionibus appositis; plurimos ad hoc allegat *Alphonsus Villagut.* in decisione prima, & Rota Romana definiuit, quòd ne in acquirendis quidem hoc fieri potuisse, *Verall.* decisione 359. parte 2. Imò si per præiudicium factum, reditus ad ius commune fieret, puta quia Prælatus contra priuilegium Ecclesiæ suæ, concessum, ageret, absque totius sui capituli consensu hoc facere non posse firmatum fuit, in decisione 22. parte 2. In nouissimis, vt vocant, decisionibus. Sed quale maius præiudicium esse potest, quam totam Patriarchatus Constantinopolitani præeminentiam Papatui Romano subijcere? Hoc totius Patriarchatus præiudicium respicit, totiusque Constantinopolitanæ Ecclesiæ status conturbatur; Propter quod, sicut in Papa dispositum est, à Papatu deponi posse, gloss. in cap. Si Papa, distinctione 40. Abb. in cap. Significasti, de electione, & in cap. Cùm venissent, de iudicijs, & in cap. Proposuit, de concessione Præbendæ; Barbatia in *Clementina* 2. de electione, *Felin.* in cap. 2. de maioritate, & obedientia. Cur non idem de

Patri-

Patriarcha Conſtantinopolitano dicendum eſt, qui ex diſpoſitis in ante dictis Concilijs, reſpectu ſui Patriarchatus à pari cum Papa procedit.

Non potuiſſet ſolus *Leo* octauus *Othoni* primo Imperatori totam Papatus electionem, atque confirmationem transferre, aliaque priuilegia ſuper Eccleſiam Romanam concedere, niſi in Concilio Romæ ad hoc conuocato, actum eſſet, atque ab omnibus inibi approbatum fuiſſet, vt in ſequenti capite demonſtrabitur; Cur dicendum eſt ſolum Patriarcham, abſque generali conuentu omnium Epiſcoporum Græcorum & Armenorum, illi Patriarchatui ſubiectorum, quorum omnium intererat, Conciliabulo conſenſum præſtare potuiſſe? Rota in ipſa allegata deciſione 22. definiuit, totius capituli, cuius intererat, conſenſum præſtari oportuiſſe; Quamobrem Græci, & Armeni Epiſcopi capitulariter conuocandi erant: Neque Florentiæ, aut alibi in Italia, locis fortè Græcis, & Armenis non tutis, ſed ſub Patriarchatu Conſtantinopolitano fieri oportuiſſet: Quibus deficientibus, tanquam neceſſarijs, vt ipſa Rota ſanciuit, quomo-

do Pontifex Romanus ſuper ſolo *Ioſephi* Patriarchę cōſenſu fundamentū facere poteſt?

Præcipua ipſius Concilij nullitas eſt, Nam cum in Concilio Conſtantienſi ſub *Martino* quinto celebrato, diſpoſitum eſſet, vt Concilia generalia in ſingulis decennijs celebrarentur; *Eugenius* quartus anno Domini 1431. tunc verè Pontifex, in exequutionem illius diſpoſitionis, Baſileę Concilium generale conuocari iuſſit, *Iulianum* Cardinalem ſancti Angeli Legatum, qui Concilio præeſſet, deputauit; cuius auctoritate Concilium congregatum eſt, cauſaſque diſcutere exorſum, & cùm ipſe *Eugenius* de quàmplurimis vitijs, erroribuſq; accuſaretur, Conciliumque ſe iudicem competentem declaraſſet, atque *Eugenium*, & Cardinales per monitorium citaſſet, vt ad ſe defendendum comparerent, *Eugenius* ſtatim Concilium diſſoluit, quod facere non poterat, cum eius nomen inter reos poſitum fuerat: ſed quia ex diſſolutione ipſa magnum ſcandalum apud Chriſti fideles ortum fuerat, diſſolutionis pœnituit, illamque reuocauit, atque iterum Concilium confirmauit: At quia in Concilio tot teſtes ſuper eius ſceleribus examinati

nati fuerant, ita vt ſententiam contra ipſum ferri opportebat, iterum Concilium diſſoluit, atque confirmationem ſecundò factam reuocauit: ſed ſacroſanctum *Oecumenicum* Concilium poſt longas diſputationes habitas, Papam accuſatum, Concilium diſſoluere non poſſe, neque ad aliam ciuitatem tranſferre definiuit, ſententiamque priuationis, & depoſitionis in *Eugenium* dixit, Mox in eodem Concilio Papa *Fœlix* Canonice electus, & confirmatus eſt. Hęc omnia in actis Concilij Baſileæ leguntur, videlicet, in Bullis *Eugenij* confirmationis, item diſſolutionis, item reuocationis diſſolutionis, ac confirmationis Concilij, item nouæ diſſolutionis eiuſdem, declarationiſque nullitatis dictæ diſſolutionis, item in monitorio, proceſſu integro, atque ſententia in *Eugenium* lata: Quomodo igitur *Eugenius*, qui à Papatu ex iuſtis cauſis depoſitus fuerat, Florentinum Concilium congregare potuit? aut præeſſe, ſiue confirmare? Omnia poſtea per eum geſta ex defectu poteſtatis corruunt, ita vt nullo modo illud allegari dignum ſit. Item quia ipſum Florentinum de anno Domini 1438. incœptum, & finitum eſt, ſed ſacrum

Basileense Concilium, quod vsque ad annum 1442. perdurauit, omnia gesta per Concilium Florentinum reuocauit, vt ex eiusdem actis apparet.

De validitate Concilij Basileæ diffusè scripsit *Æneas Siluius* in suo particulari libro de Concilio Basileæ, qui in ipso Concilio interfuit, licet postea Papa creatus fuerit, atque *Pius* secundus appellatus sit, palinodiam cecinit per vnam suam Bullam, declarans omnia dicta eius super dicto Concilio scripta, falsa existere. De eodem scripsit librum Episcopus Famagustanus, qui pariter in illo interfuit, atque de omnibus gestis in ipso Concilio diffuse pertractauit; Item *Antonius de Rosellis* in tractatu de Concilijs cap. 16. vbi specialiter agit, Vtrum Papa in Concilio generali canonicè congregato accusatus, illud dissoluere possit, & pluribus rationibus probat nō posse, cui nihil addi potest.

Et quod Concilium generale, prout vniuersalem Ecclesiam representat, potestatem habeat super Papam, docuit Schola Parisiensis, & alij allegati per Abbatem in tractatu Concilij Basileensis Anno 18. Cardinalis *Iacobatius* in tractatu de Concilijs libro 10.

arti-

articulo 7. *Franciſcus Victoria* in libro de poteſtate Concilij, quæſtione 3. in fine. Epiſcopus Feltrenſis in tractatu de poteſtate Romani Pontificis cap. 24. in fine. Epiſcopus Famaguſtanus, qui latius alijs ſcripſit, & ita concludit: Et quod hæc queſtio per triduum fuiſſet diſputata Florentiæ ante Concilium Piſanum, & poſtea Venetijs, à qua diſputatione traxerūt Originem decreta Concilij Conſtantienſis, & Concilij Baſileenſis, & opinio Pariſienſium, totiuſque Harbonenſis Galliæ, An ſcilicet Cardinales obedientiæ *Gregorij* 12. & *Benedicti* 13. conuocato Concilio, eos contumaces deponere, atque alium denuò creare poſſent, quæ tandem annuentibus omnibus ſacræ Theologiæ, atque Iurium Doctoribus terminata fuit, quod licitè, & canonicè poſſent, quaſi contineret reformationem vniuerſalis Eccleſiæ ob ſchiſma, & ob ſcandalū, & incorrigibilitatem dictorum Pontificum. Et tunc Conſilium eſſe ſupra Papam, ſcripſerunt *Abbas* in dicto tractatu, *Iacobatius* in dicto libro 10. articulo 7. D. *Antonius* in 3. parte ſuæ ſummæ titulo 22. cap. 2. & cap. 5.

CAP. VII.

Papam Romanum nullo modo potuisse præscribere præeminentiam super alios Patriarchas, eorumque suffraganeos.

SI ius canonicum, quod Papa profitetur, ipsemet non impugnat, necessario fateri opus est, hanc præeminentiam, quæ sibi in certis finibus à Concilio Nicæno, & alijs limitata fuit, Papam præscribere nullo modo potuisse. Nam in Concilio Africano 4. cap. 33. ita fuit dispositum.

Quicunque Episcopus alterius Episcopi diocæsin per triginta annos sine aliqua interpellatione possederit, quamuis secundum ius Legis, eius non videatur esse diocæsis, admittenda non est contra eum actio reposcendi, sed hoc intra vnam Prouinciam, extra verò nullo modo, ne dum diocæsis defenditur, Prouinciarum termini confundantur.

Et ibi Glossa *Gratiani*, quam communiter omnes sequuntur, Episcopalem iurisdictionem, extra suam Prouinciam præscribi nullo

lo modo posse affirmarunt, *Oldradus* in Concil. 83. in fine, *limites diocœsium, siue parochiarum imperscriptibiles sunt*, rationem assignat *Innoc.* in C. Cùm causam. de probationib. *quia temporalia quandoque conceduntur occupanti, spiritualia nunquam*, *Felin.* in C. Quia indicante, in fine, de præscriptionibus.

Gelasius Papa in Epistola ad *Maximum*, & *Eusebium* Episcopos, ita scribit. *Licet in regulis contineatur antiquis parochias vnicuique Ecclesiæ pristina dispositione deputatas, nulla posse ratione conuelli, ne per consuetudinem pessimam, exempli mali temeritate crescente, vniuersalis confusio nasceretur, tamen etiam decretis nostris, ante non multum temporis destinatis, omnia iussimus, quæ taliter fuerant inuasa, restitui. Sed quia temeritas*, &c. Et post multa. *Nulla igitur præsumptione statum parochiarum, qui perpetuæ ætatis firmitate durauit, patimur immutari, quia nec negligentia Pontificis, nec temporalis obiectio (quæ per incuriam fortè generatur) neque ignauia faciente consensus adhibitus, nec sub repente supplicatione præceptio diuellere potest, semel diocœsim constitutam*, &c. Cum autem hæc Epistola in decreto *Gratiani* relata fuerit, ipsius Papæ decreto, paragraphus his verbis additus

tus eſt poſt dictum cap. licet. Cauſa 16. quæſtione 3.

Hoc multipliciter diſtinguitur: ſunt quædam diocœſes, quæ certis limitibus diſtinctæ ſunt, hæ nullo modo præſcribi poſſunt, aliæ verò, quæ non ſunt certis limitibus diſtinctæ, & de quibus certa definitio non olim præceſſit, præſcriptione tolluntur. Sed Papatus Romanus certis limitibus à Concilio, quod ius diuinum æſtimatur, reſtrictus eſt, ergo præſcriptione aliqua ſuper alios iuuari non debet.

Innocentius Papa etiam ita ſcribit, *Inter memoratos fratres noſtros Fulgentium Aſtigitanum, & Honorium Cordubenſem Epiſcopos diſcußio agitata eſt, propter parochiam Baſilicæ cuiuſdam, quam horum alter Cellanenſem, alter Rhegienſem aſſeruit, & quia inter vtraſque partes hactenus limitis actio ventilata eſt, cuius quamuis vetuſta retenſio, nullum iuris præiudium affert,* &c. Et poſt multa, *Quorum auctoritas præmonet ita oportere inhiberi cupiditatem, vt nequis terminos alienos vſurpet, ob hoc placuit inter alternas partes inſpectores viros mittendos, ita diocœſis poßidentes, (ſi tamen Baſilicam veris ſignis, limes præfixus monſtrauerit) Eccleſiæ, cuius eſt ius retentionis ſit æternum dominium,* &c.

Quæ omnia *Vrbanus* 3. in cap. Super eo. de Parochijs, ita confirmauit, *Super eo vero, quod apud vos intelleximus dubitatum, an quod de finibus, & his quæ finibus cohærent non præscribendis, statutum per canones esse dignoscitur, sit in parochiarum limitibus, sicut in prouincialibus admittendum. Respondemus, quod bene videtur in vtroque seruandum, si fines legitima probatione, vel alijs indubitata fide constiterit Ecclesiastica ordinatione statutos.*

Iura Episcopalia sunt, Canonica obedientia, subiectio & reuerentia, institutio, & destitutio, correctio, & reformatio, cap. Conquerente. de officio ordinarij, hæc omnia ad iurisdictionem Episcopalem pertinere, probat *Io. de Immol.* in cap. Quod super his. de maiorit. & obedientia, eaque imperscriptibilia esse probatum est, quando de certis diocœsis limitibus apparet. Ergo nullo modo super Episcopos alijs Patriarchis subiectos iura huiusmodi præscribere potuit, probat *Io. Franciscus Balbus* in tractatu de præscriptionib. parte 6. principali cap. 1. in decimo casu.

Requisita præscriptionis iurium sunt, tempus, bona fides, iustus titulus, scientia,

atque patientia aduersariorum, quibus præiudicium fieri potuit; Nam quod scriptum est, præscriptionem centenariam tituli vim habere. L. hoc iure §. ductus aquę ff. de aqua quot, & *Æstiua* L. 1. in fine ff. de aqua pluuia arcenda. cap. Super quibusdam §. præterea. de verborum significatione, & per *Iasonem* in L. Imperium. ff. de iurisdictione omnium iudicum. Ideoque in eadem tituli probatione, neq; scientia & patientia aduersarij opus esse, *Alex.* in cõsil. 6. vol. 1. & ibi Addẽtes alios allegant, Non procedunt, quando agitur de præscriptione contra ius expressum, tunc enim de iure canonico dispositum est, tituli allegationem, probationemque necessariam esse, cap. primo, de præscriptionibus, libro sexto. Et licet in fine textus ibi addatur, *Nisi tanti temporis allegetur præscriptio, cuius contrarij memoria non existat*, Tamen hoc procedit, vbi non constat de titulo, quo casu, famam ipsius sufficere, receptum est *Innoc.* in cap. *Veniens.* de verborum significatione, *Cassadorus* decisione 2. de probationibus, *Puteus* decisione 365. parte 2. *Mohedanus* decisione 10. de iure patronatus.

Sed quando constat de titulo inualido, tunc

tunc cessat bona fides, & clarè apparet mala, quæ impedit præscriptionem, etiam mille annorum, cap. finali, de præscriptionibus, & probat *Octauianus Osaschus* decisione 101. num. 36. nemo enim cum mala fide præscribere potest, de iure canonico. cap. Possessor. de regulis iuris libro. 6. *Dynus* in cap. Locupletari. in fine, eodem titulo, *Innoc.* in cap. Quia pleriq;. de immunit. Ecclesiarũ. *Capella Tholosana* decisione 408. Sed hîc de titulo inualido constat, nimirum de Cõcilio generali, & Concilio Florentino, contra quę satis in præcedenti capite scriptum est, & vbicunque constat de originali titulo concessionis, qui inualidus, nullus, & vitiosus fuerit, tunc præscriptio, atque vsus immemorialis, vigore illius tituli nihil operatur, vt probant *Ægidius Bellam.* in Concilio 10. *Parisius* in Concilio 166. num. 128. vol. 1. *Decianus* in Concilio. 24. num. 114. vol. 1.

In præscriptione temporis immemorialis non requiritur probatio scientiæ, & patientiæ illius contra quem præscribitur, vt per *Alexandrum* in dict. concilio 6. num. 6. & seq. vol. 1. *Felinus* in cap. cùm nobis. num.

 2. vers.

2.verſ.ſed aduerte, & in cap. De quarta, col. penult. verſ.fallit in præſcriptione tanti temporis, De præſcriptionib. *Paulus de caſtro* in L.2. C. de ſeruitutib.alios allegat. *Couarr.* in relectione cap. Poſſeſſor in 2.parte in verſic. tertio, ſupra, vſque ad finem: Sed hoc non procedit in præſcriptione immemoriali iurium incorporalium, quorum vſui, & exercitio ius commune reſiſtit, vt probat *Couarr.* in loco citato, in verſic. Niſi coactè, poſt gloſſam; *Rochum* de curte, & alios per illum citatos: ſed in hoc caſu Concilium Nicænum reſiſtit, ergo ſcientiæ atque patientiæ aduerſariorum probatio neceſſaria eſt.

Cum de inualiditate, & iniuſtitia tituli apparet, mala fides in promptu reſurgit, Pariſius in Concilio 100. num 101. & ſeq. vol. 1. poſt *Innoc. Bald. Antonium de Put:* Nilum, & alios ab eo citatos, & clarius in conſilio 114. num. 8. & ſeq. vol. 1. Nam licet talis præſcriptio antiquiſſima inducat præſumptionem bonæ fidei, tamen ſi de titulo iniuſto, & inualido apparet, ſecus eſt, quia ex eo probatur mala fides, quæ omnem temporis prẹſcriptionem tollit. *Bellam.* in dict. conſilio 10. col. 13 verſic. plus dico: Item ſolo ſcientia,

tia, quod res aliena ſit, malam fidem inducit, L. bonæ fidei ff. de verborum ſignificatione. Item poſſeſſio ſine titulo præſumitur clandæſtina, & ſic malæ fidei, quæ in ſucceſſores tranſit, vt probat. *Signorolus* in conſilio 253. col. 2. verſ. item in dubio. Et ceſſante titulo, error injuſtus non ſufficet. *Paulus* de caſtro, in conſilio 98. num. 3. vol. 1. Et ſucceſſor in dignitate, ſuccedit in vitium prædeceſſoris, gloſſa 1. in cap. 2. de noui operis nuntiatione: Nam in beneficialibus quandocunq; quis habuerit injuſtæ poſſeſſionis initium, ſtatim tenetur reſtituere. Io. de Silua, in tractatu de Beneficijs, parte 3. quæſtione 21. num. 6.

Quod verò arrogantiæ aſcribendum eſt, poſſeſſionem juvare non poteſt; Hoc eſt, cùm Romanus Pontifex ſanctiſſimi Patriarchæ Conſtantinopolitani idæam quandam ex aurichalco creat, quam ſub pedibus conculcatam habet, dum ipſe in Capella ſedet, vbi verò celebrat, pro ſuggeſto vtitur, qui librum apertum illi ſubminiſtrat: Hoc idem eſt, cum contra Apoſtolorum inſtitutiones, alterum Epiſcopum Italum in ciuitate ab infidelibus occupata creat, vbi alter priùs ab

 eodem

eodem Patriarcha creatus, ac destitutus resi-
det: *Arrogans, & qui mentitur, vtriq; vitupe-
randi sunt, sed maiore quadam ratione, arrogan-
tem decet, Aristotelis* in lib. 1. magnorum mo-
ralium cap. 32: Hæc igitur, neq; possessio-
nem, quæ contra sacra Concilia occupatio
præsumitur, neq; scientiam, & patientiam
interesse habentium fundare possunt: cum
enim quis actum impedire non potest, tunc
tacendo, & patiendo sibi non præjudicat,
Bartol. in l. *Pompanius* §. ratum ff. de procura-
toribus, cap. Tuis de testibus. *Alciatus* in l.
detestatio ff. de verborum significationibus.
Glossa in l. *Caius* ff. de pignoratitia actione.
Abbas in cap. peruenit, num. 8, de emptione
& venditione. *Curtius Iun.* in concilio 14.
num. 5. *Soccinus Iun.* in concilio 46. num. 1.
vol. 2. l. Rem alienam ff. de contrahenda
emptione. l. Culpa caret. de regulis juris,
l. 1. § Occasione versic. hoc ideo, l. Si quis
in graui, in principio ff. ad Senatusconsultum
Syllanianum. l. Si fundus §. final. ff. de lo-
cato l. Adigere ff. de jure-patronatus. In qui-
bus locis apertè probatur, quod culpa caret
qui scit, sed prohibere non potest, & hanc
doctrinam esse communiter ab omnibus
appro-

approbatam, dicit *Soccin.* in consilio 187. num. 22. vol. 2. Item cum quid contra juris dispositionem fit, patientia nihil operatur, vt si quis sciat alterum de re sua disponere, *Bald.* in cap. 1. de feudi alienatione per Lotharium, vbi adhoc ponderat, l. Si quando §. generaliter. C. de inofficioso testamento, l. Sicut §. non videtur ff. quibus modis pignus, vel hypotheca saluatur, Glossa in cl. l. *Caius* ff. de pignoratitia actione, & quandò quis jus suum saluum sibi remanere scit, quod agitur, per patientiam probare non videtur, ita declarat *Ruin* in concilio 161. num. 38. vol. 1. glossa in l. filius familias §. inuitum ff. de procuratoribus.

Quare cum res ipsa imperscriptibilis sit, titulus deficiat; ac bona fides, imò mala fides clara appareat, nullaq; patientia præjudicialis constituti possit, ex qua consensus toto Patriarchatui, atq; Græcorum nationi obesse possit, ipsa possessio occupata potiùs arrogantiam, quam jus certum constituit.

CAP.

CAP. VIII.

Papam ex dispositione Concilij generalis esse subditum Imperatori, & ab eo investituram petere oportere.

CVm tot sordes, simoniæ, atq; violentiæ, in electione Romani Pontificis committerentur, Deo inspirante factum est, vt anno Domini 774. omne jus confirmandæ Pontificiæ, etiam Romanæ electionis ad *Cæsarem*, Regemq; pertinere declaratum fuerit: Ita *Hadrianus* in Concilio generali definiuit, cùm confirmationem à Rege petendam esse, firmatum fuerit, subditum illi esse probatum est, cap. finali, de electione, libro 6. Quare si Papa, & alij Episcopi investituram, & confirmationem ab Imperatore, vel Rege recipere debent, & illum Superiorem recognoscere opus est. De hujusmodi jure scriptum est, in cap. *Hadrianus*, distinctione 63. His verbis; *Hadrianus Papa Romam venire Carolum*

lum Regem ad defendendas res Ecclesiasticas postulauit, Carolus verò Romam veniens Papiam obsedit, ibiq; relicto exercitu in Sancta resurrectione, ab Hadriano Papa Romæ honorificæ susceptus est; Post sanctam verò resurrectionem, reuersus Papiam cœpit Desiderium Regem, deinde Romam reuersus constituit ibi Synodum cum Hadriano Papa in Patriarchio Lateranensi, in Ecclesia sancti Saluatoris, quæ synodus celebrata est à centum quinquagintatribus Episcopis religiosis, & Abbatibus: Hadrianus autem Papa cum vniuersa synodo tradiderunt Carolo ius, & potestatem eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam sedem, Dignitatem quoq; patritiatus eidem concesserunt; Insuper Archiepiscopos, & Episcopos per singulas Prouincias inuestituram ab eo accipere definiuit, & vt nisi à Rege laudetur, & inuestiatur Episcopus à nemine consecretur, & quicunq; contra hoc decretum agerit, anathematis vinculo eum innodauit, & nisi resipisceret; bona eius publicari præcepit.

Hanc historiam esse veram, comprobarunt *Martinus Polonus* Monachus Dominicanus, & Pœnitentiarius Papæ in Chronico. *Aliam Synodum,* ait, *ipse Papa Hadrianus præsente Carolo Rege celebrauit Romæ, in qua fuerunt*

centum quinquaginta quatuor Episcopi, & alij Abbates, & Prælati, & inqua Carolo dedit Hadrianus Papa & Synodus ius eligendi Pontificem, & sedem Apostolicam ordinandi, item Archiepiscopos per Prouincias singulas inuestituras ab eo recipere: anathematizauit quoque omnes huic decreto rebelles, & iussit bona eorum, nisi resipiscerent, publicari.

Walthramus Naumburgensis Episcopus, in libro de Episcoporum inuestitura, dicit. *Hadrianus Papa, collaudantibus Romanis, & plena Synodo, primatum Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Ducum, & Principum acclamatione Carolo magno, eiusque successoribus futuris Imperatoribus sub anathemate concesset patritiatum Romanum, & per se, vel per nuntium confirmationem in electione, & consecratione Romani Pontificis concessit, & inuestituras Episcoporum eis determinauit, vt non consecretur Episcopus, qui per Regem & Imperatorem non introierit purè & integrè.*

Io. Semeca Pręposítus Halberstatensis Decreti 1s. glossator, super distinct. 63. ita scribit. *Desiderius Rex morabatur Papiæ, qui totã Italiã stimulauit, propter quem repellendum, Hadrianus Papa fecit Carolum venire, qui Papiæ dimisso exercitu,*

exercitu, Romam iuit, ibique honorificè receptus, Papiam rediJt, & tandiu eam obſedit donec Deſiderium Regem cœpit: Deinde Romam reuerſus Synodum congregauit, vbi Hadrianus cum centum quinquaginta tribus Epiſcopis dedit Carolo poteſtatem eligendi Papam, & ordinandi ſedem Apoſtolicam, & confirmandi omnes Epiſcopos, & Archiepiſcopos per Prouincias, & quicunque contra hoc priuilegium veniret, anathema eſſet.

Leopoldus de Bembenburg. Epiſcopus Bambergenſis in libro de Zelo veterum Principum Germaniæ Cap. 8. *Carolus magnus*, ait, *habebat ab Hadriano Papa primo, & ſancta Synodo Romæ celebrata ex priuilegio poteſtatem eligendi, ſiue ordinandi ſedem Apoſtolicam*, Item in cap. 15. *Hadrianus Papa primus cum ſancta Synodo Romæ celebrata tradidit Carolo magno præfato Pipini filio, ius, & poteſtatem ordinandi ſedem Apoſtolicam, inueſtituras quoque Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum per ſingulas Prouincias ab ipſo Carolo recipi definiuit.*

Theodoricus de Niem tempore *Ioannis* 23. Florentiæ inuenit in quodam antiquiſſimo libro de inueſtitura Epiſcopatuum & dicit omnia quæ ſcripta fuere in cap. In Synodo. diſtinctione 63. Hic *Theodoricus* fuit multo-

rum Paparum intimus ſcriba, ſed factus Epiſcopus à *Bonifacio* Papa, vt ſcribit *Crantzius* Epiſcopus Luerdenſis, eorundem Paparum dedecora ſcriptis publicis exequutus eſt.

Wernerus Rolewink Chartuſianus Colonienſis in faſciculo temporum ſcribit, *Ipſe Hadrianus regnum Longobardorum per Carolum magnum ceſſare fecit, Synodus duas ſollemniter celebrauit, Eccleſias, & monaſteria multa inſtituit, & ius Carolo ſuper ordinatione ſedis Apoſtolicæ, & inſtitutione Epiſcoporum, & Abbatum in generali Concilio dedit, propter violentias tyrannorum coercendas, vt patet in diſtinctione 63.*

Robertus Iaguinus miniſter generalis ordinis ſanctiſſimæ Trinitatis de Francorum geſtis lib. 4. *A Deſiderio recuperatas, quas Romano præſidi abſtulerat vrbes Eccleſiæ Carolus reſtituit. Addidit his Spoletum, atque Beneuentum, quibus beneficijs, vt Pontifex aliquid gratiæ rependeret; Carolum multis ornauit priuilegijs, quorum illud fuit, donare Eccleſias idoneis ſacerdotibus poſſe, quod à ſacerdotibus inueſtitura vulgo appellatur, qua ſine, vt nunc loquimur, beneficium nemo poſſidebat. recipiebat enim a Rege,*

qui

qui beneficium adepturus esset, annulum, vel simile quidpiam argumentum scilicet Regiæ in eum gratitudinis, interest enim Regum nosse, qui maiores maximè Ecclesias administrent, quorum ipsi tutores sunt: Adiectum priuilegio est, Romanum quoquè Pontificem sine Caroli iussu eligi non debere, idque in Synodo, assidentibus Romæ centum quinquaginta tribus Episcopis, atque Abbatibus firmatum est.

Nicolaus Vignerius Barrensis, in Burgundionum Chronico ex vetusto scriptore, Anno 772. *Carolus Desiderium Papiæ inclusum obsedit, vbi cum sibi hærendum diutius esse videret, parte copiarum ad obsidionem relicta, in alias Longobardorum ciuitates, deinde Romam deductus est, vbi Pipini donationem confirmauit, vixitque, atque pro remuneratione ab Hadriano ius eligendi Pontificis, Episcoporum inuestituram, patritiatusque dignitatem accepit.*

Et licet *Ludouicus Pius*, filius, ac successor *Caroli Magni* huiusmodi translationem eisdem Romanis in persona *Paschalis* Papæ remiserit; quibus concessit, vt post mortem Romani Pontificis, statim ad electionem, atque consecrationem peruenire possent, vt habetur in cap. Ego *Ludouicus*. distinctione

 63.cu-

63.cuius historiá scribunt *Antoninus* in parte 1. cap. 1. § 2. tit. 16. & *Volateranus* l. 3. *Anselmus* l. 4. cap. 5. *Iuo* parte 5. cap. 51. ita vt ideo etiam Romani Pontifices post Paschalem super hoc rescripserunt. cap. Inter nos, & vos. cap. constitutio, cap. Sacrorum Canonum. dicta distinctione 63. & in § ex constitutionibus, qui immediatè sequitur post dictum, cap. Sacrorum. expresse habetur: *Ex constitutionibus his, & pacto Ludouici Imperatoris deprehenditur Imperatores illis renuntiasse priuilegijs, quæ de electione Summi Pontificis Hadrianus Papa Carolo Imperatori, & ad imitationem eius Leo Papa, Othoni primo Theutonicorum Regi fecerat: cum ergo præmissis autoritatibus cunctis liqueat electionem Clericorum tantummodo esse, quæritur* &c.

Tamen *Ludouicus* fuit tempore Paschalis circa annum Domini 817. vt in *Platina* & in Chronologia Ecclesiastica *Panuinij*, & sequitur *Baronius* in tomo nono, anno Christi 816. & seq. Sed *Leo* octauus fuit Pontifex anno Christi 963. vt in præfatis locis legitur: Ipse autem *Leo* in Synodo Lateranensi, ad instar *Hadriani* Papæ, qui Carolo magno illud ius in Synodo generali transmiserat, & ipse

ipſe Othoni primo Imperatori huiuſmodi remiſſioni, atque conceſſioni *Ludouici* iterum renuntiauit, vt expreſſè legitur in cap. In Synodo. diſtinctione. 63. his verbis: *In Synodo congregata Romæ in Eccleſia ſancti Saluatoris ad exemplum Beati Hadriani Apoſtolicæ ſedis antiſtitis, qui Domino Carolo Victorioſiſſimo Regi Francorum, & Longobardorum patritiatus dignitatem, & ordinationem Apoſtolicæ ſedis, & inueſtituram Epiſcoporum conceſſit, ego quoq; Leo Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei cum toto clero, ac Romano populo conſtituimus, & confirmamus, & corroboramus, & per noſtram Apoſtolicam autoritatem concedimus, atq; largimur Domino Othoni Primo Regi Theutonicorum, eiuſque ſucceſſoribus huius Regni Italiæ in perpetuum facultatem eligendi ſucceſſorem, atque ſummæ ſedis Apoſtolicæ ordinandi Pontificem, ac per hoc Archiepiſcopos, ſiue Epiſcopos, vt ipſi ab eo inueſtituram accipiant, & conſecrationem, vnde debent, exceptis his, quos Imperator Pontificibus & Archiepiſcopis conceſſit, & vt nemo deinceps cuiuſcunque dignitatis, vel religioſitatis eligendi vel patritium, vel Pontificem ſummæ ſedis Apoſtolicæ, aut quemcunque Epiſcopum ordinandi habeat facultatem, abſque conſenſu Imperatoris (quod tamen fiat abſ-*

que

que omni pecunia) & vt ipse sit patritius & Rex: Quod si à clero, & populo quis eligatur Episcopus, nisi à supradicto Rege laudetur, & inuestiatur non consacretur: si quis contra hanc regulam & Apostolicam autoritatem aliquid molietur, hunc excommunicationi subiacere decernimus, & nisi resipuerit, irreuocabili exilio puniri, vel vltimis supplicijs affici.

Hanc temporum distinctionem esse faciendam probat *Antoninus* in 2. parte historial. titulo 16. cap. 1. § 16. & *Petrus Gregorius Tholosanus* in libro 26. de republica cap. 5. num. 10. per quam temporum distinctionem reprobandam esse glossam ait, quæ in dict. cap. in Synodo. multa impertinenter considerat: Item falsum esse *Gratiani* ordinem apparet, in collatione Canonum dictæ distinctionis 63. Nam cum *Leo* octauus nouissimo loco omnia retrocesserit, ipsum capitulum, In Synodo. collocari non debuit in ordine 23. post capitulum *Hadrianus*. Sed in ordine 35. quia omnia, quæ eousque *Gratianus* narrauerat, *Leo* Papa in Synodo generali remittit.

Sed quia *Cæsar Baronius* in suis annalibus vtramque iuris translationem impugnat, videlicet

videlicet *Hadriani*, & *Leonis*, atque falſas exclamat, item fraudem, ſcelus, & impoſturam eſſe vult, videamus quantum eius ſcripta valeant.

Primo, ait, *quia dicta Sigeberti ſcriptoris Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, ex quibus Gratianus compilauit dictum.* cap. Hadrianus. *non probantur per alios hiſtoriographos illius temporis, eademque Sigebertum ſcripſiſſe dicit Anno* 1112. *& ita poſt* 338. *Annos à tempore Caroli magni, vt faueret Imperatori ſchiſmatico, qui tunc temporis inueſtituras ſibi vendicabat, ſed qui vitam Caroli magni ſcripſerunt, & per annos ſingulos res ab eo geſtas quam diligentiſsimè diſſerunt, de his nihil penitus dixerunt; Quonam igitur tantum mendacium introducit auctore?*

2. *Quia contrarium omnes affirmant, nempe quod poſt captum Ticinum, non Romam venerit iterum Carolus, ſed quam celeriter in Galliam redierit, vt aduerſus rebellantes Saxones expeditionem pararet, illo igitur periculoſo Saxonum bello vrgente, locus induciarum eſſe non poterat, & longiſsimæ moræ celebrandi adeo numeroſi conſilij, videlicet eundi Ticinum, redeundi Romam, conuocandi & expectandi centum & quinquaginta Epiſcopos, etiam longè euocatos.*

Idem confirmat, *quia Eginhardus*, [1] *qui Caroli magni lateri inhærebat, & vitam eius scripsit, expressè affirmat ipsum Carolum non nisi quater Romam se contulisse, & si verum esset, quod turpiter nimis Sigebertus mentitur, non quater, sed quinquies venisse, dicendum esset; primus aduentus contra Longobardos Anno 773; secundus soluendi voti causa Anno 780. tertius aduersus ducem Beneuentanum Anno 786. quartus ad restituendum Leonem Papam Anno 800. quando & ipse Imperator creatus est, vbi ergo quintus à Sigeberto confictus, nusquam ab aliquo vel excogitatus, & ideo Gratianum nimis credulum extitisse,* ait, *qui eandem Sigeberti manifestissimam imposturam totidem verbis exscripsit.*

3. *Tantum abest, vt Carolus id quod ascribitur, arrogare voluerit, vt potius suo promulgato decreto eas statuerit esse liberas, atque ex sacrorum Canonum præscripto decerni*: Nam cùm ex capitularibus suis libro 1. cap. 84. ita dispositum sit, *Sacrorum Canonum non ignari, vt in Dei nomine sancta Ecclesia suo liberius potiretur honore, assensum ordini Ecclesiastico præbuimus, vt scilicet Episcopi per electionem clericorum, & populi, secundùm statuta canonum de propria diocœsi, remota personarum, & munerum acceptione,*

ob vitæ meritum, & sapientiæ donum eligantur, vt habetur in cap. Sacrorum. distinctione 63.

4. *Quid est quod dicitur Carolo fuisse ab Hadriano inuestituras concessas cùm nec ipsum nomen inuestituræ temporibus Caroli in vsu esset.*

Denique quod dicunt Imperatorem Ludouicum renuntiasse, vt in cap. Ego *Ludouicus*, *Verum esse non potest, quomodo enim esse potest, vt renuntians non exprimat id, quod renuntiat Necessaria omnino est eius mentio. Idem de Pontifice dicendum est, nam si priuilegia Carolo magno concessa fuissent, Cur Hadrianus secundus, qui per octauam Oecumenicam Synodum sanciendum curauit, vt nullus Laicorum electionibus Episcoporum penitus se intromitteret, non meminit huiusmodi concessionis, neque reuocauit? Vel si rata, & firma consistere voluit, cur non expressit, dum legem contrariam illis statuit? Ergo si nulla mentio facta est, neque concessionem factam esse dici potest.* Hæc *Baronius* vsque ad § 24.

Sed omnes huiusmodi rationes falsas esse demonstrauit Doctissimus *Melchior Haiminsfeldius Goldastus* in rationali constitutionum Imperialium tomo 1. cap. 1. Verum formaliter respondendo, ad primum dici-

tur, non esse verum *Sigebertum* scripsisse nullo alio auctore conscio; Nam si scripsit Anno 1112. tribus annis antea scripserat *Walthramus* Naumburgensis, qui in libro de Episcoporum inuestitura idem scripserat, quod *Sigebertus*, vt supra allegaui, & in fine eiusdem libri hæc ita scripsit. *Ex quo Imperium Romanorum Carolo magno acclamatum est, sunt anni trecenti, & vnus, est autem annus præsens millesimus centesimus nonus*, &c.

Item *Eutropius Longobardus*, qui fuit ante *Othonem* 1. & sic annis circiter ducentis ante *Sigebertum*, in libro de statu Romanorum sub Græcis, & Francis, dictæ conuentionis ita meminit: *Accipiente autem Carolo hoc regnum, profectus est Romam, deditque ibi donaria multa, quæ vsque hodie Romanum tenet Dominium, de regni huius confinibus, fecitque pactum cum Romanis, eorumque Pontifice, & de adoratione Pontificis, vt interesset quis legatus, & vt contentiosas lites ipse deliberaret.*

Item *Paulus Diaconus* ipsis rebus gestis interfuit, & à *Carolo* captiuus abductus est, qui in libro de Episcopis Metensis Ecclesiæ ita scripsit, *Denique inter plura admiranda quæ gessit, Longobardorum gentem bis ita à patre deuictam,*

ctam, altero eorum Rege, cui Desiderius nomen erat, capto, &c. Vniuersam sine graui prœlio suæ subdidit ditioni, & quod rarò fieri assolet, clementi moderatione victoriam temperauit, Romanos præterea, ipsamque vrbem Romuleam iam pridem eius præsentiam desiderantem, quæ aliquando mundi totius Domina fuerat, & tunc à Longobardis depressa gemebat, duris angustijs eximens, suis addidit sceptris, cunctaque nihilominus Italia miti dominatione potitus est.

Ad 2um. Merum mendacium est, omnes affirmare post captum Ticinum, *Carolum* Romam non rediisse, sed Galliam; nam *Andreas* presbyter in historia Longobardorum (qui cum *Ludouico* pro Imperatore vixit) dicit, *Igitur subiugata, & ordinata Italia ad Romam perrexit, ibidem Palatium construxit, ipse vero Carolus post aliquantulum tempus Franciam reuersus est.*

Remingus Præpositus sancti *Galli* in gestis Francorum sub anno Dom. 926. *Papia ciuitas conquisita, & rex Desiderius, & Ansa vxor eius pariter exiliati sunt, & Carolus ad Romam peruenit.*

Marianus Scotus lib. 3. Chronic. ætate 6. *Rogatu Hadriani Papæ in Italiam perrexit, ibi*

Desiderium regem Longobardorum longa obsidione fatigans in deditionem suam suscepit, filiumq; eius Adelgisum, in quo omnes spem inclinabant, ab Italia compulit, atque Italiam totam subegit, & omnia à Longobardorum regibus erepta, tam Romanis,*quam Hadriano Papæ restituit, & tunc primùm* Romam *peruenit, Sabato sancto Paschæ.*

Hermanus Contractus, in Chronico primæ editionis, *Carolus Longobardos cum Italia subiecit, anno ex quo intrauerant 205 ipseque cum triumpho* Romam *venit.*

Quod igitur *Eginhardus* asserit, *Carolum* quatuor vicibus Romam venisse, Romam pro Italia sumendam esse constat, nam primus aduentus contra *Longobardos*, & tertius contra Ducem Beneuentanum declarant; isti enim Romæ non erant, nec inibi bellum gerendum erat, sed Papiæ, & Beneuenti; Quamobrem Romam redijsse non dicitur, id est Italiam, vnde discessisse non videtur.

Neque inducijs locus esse poterat; Nam *Carolus* expeditionem in *Longobardos* instituturus, omnes Regni sui Principes & seculares, & Ecclesiasticos conuocauit, Episcopos, Abbates, & Prælatos, quos antiquo Regum iure, expeditionis socios atque comites ire

iussit,

iussit, perduxitque secum Romam, ita affirmat *Anastasius* Bibliothecarius de vitis Pontificum.

Idem dicit *Notherus Balbulus* in lib. 2. de gestis *Caroli* magni cap. 26. vbi super aduentu ad *Ticinum*, & expeditionis ordine, dicit: *Post hanc cernuntur Episcopi, Abbates, & clerici cappellani cum comitatibus suis*, &c. *Hisce Romæ relictis cum Pontifice, ipse ad bellum conficiendum regressus est.*

Et infra hoc temporis interuallum, Concilium à Pontifice celebratum fuisse, scribit *Marsilius Patauinus* in tractatu de translatione Imperij cap. 8. *Veniens Carolus in Liguriam & Æmiliam, quæ nunc Lumbardia plana vocatur, in circuitu Ciuitatis Papiæ sua tabernacula fixit, & castris circum circa dispositis, vt fidem sequamur historiæ, in eisdem Natale Domini celebrauit, Deinde verò exercitu derelicto, Romam causa deuotionis accessit, ibique cum Hadriano Papa pascha Dominicum simul egit, factaque sollemnitate Paschali ad castra reuertitur circa Papiam, continuataque obsidione ciuitatem expugnauit, Desiderium Longobardorum regem cum vxore & filijs cœpit, qui Caroli subijciuntur potestati: Ibique etiam omnes aduenientes Italici de singulis*

lis ciuitatibus ambasiatores, & nuncij se Regis dominio subiecerunt: Quibus sic feliciter expeditis, & inde Romam accedens, temporalia Ecclesiæ Romanæ restituit, simulque Ducatum Spoletanum, & Beneuentum eidem sua liberalitate de facto donauit: Tunc Hadrianus beneficijs temporalibus dicti Principis allectus Centum & quinquaginta trium Episcoporum, & Abbatum Romæ concilium congregauit, ibique cum vniuersa Synodo glorioso Principi Carolo regi Franciæ ius & potestatem dedit eligendi, Pontificem Romanum, & sedem Apostolicam ordinandi, atque patriciatus dignitatem eidem concessit, qua olim quasi pater principum videbatur. Insuper Archiepiscopos, & Episcopos per singulas Prouincias ab eo inuestituram accipere definiuit, & vt nisi à Rege laudaretur, & inuestiretur Episcopus, à nemine consecraretur, omnesque contra prædicta facientes, anathemate maledixit, & nisi rescipisceret, bonis priuari mandauit. Quorum nullam faciendi, aut concedendi auctoritatem habuit Pontifex, aut alter Episcopus, siue clericus, nisi demum Romani populi ordinatione, atque mandato, Prima siquidem concessione, potestatem videlicet Romanum Pontificem ordinandi, non fuit vsus Carolus memoratus, quod fortè fuit, quia pauci Pontifices fuerunt tempore

sui

sui regiminis à concessione prædicta, quod fuit spatium quadraginta annorum; soli enim prædictus Hadrianus, & Leo tertius, prædicti temporis spatio Romani Pontifices extitere, qui quadraginta quatuor annis, & mensibus aliquibus Ecclesiæ Romanæ præfuerunt. Verum nec ipsum Carolum tali iuri sibi competenti, ex concessione prædicta renuntiasse, ab aliquo reperitur. De secunda verò concessione, videlicet Episcoporum installatione, se aliquoties intromissit, vt ex eius gestis in plerisq; locis apparet. Hæc Marsilius.

Ad tertium, Electionem, & confirmationem esse diuersa inter se patet, præsertim quia diuersis personis competunt, Nam superior est, qui electum confirmare debet. cap. finali. de electione lib. 6. ideoque si *Carolus* electionis ius liberum esse iussit, non ideo à se confirmandi ius abdicat, atque inuestituram faciendi, quæ in eum ab *Hadriano*, & Synodo generali translata fuerant.

Carolus Molinæus in suis Commentarijs ait: *Non obstat quod Platina in Benedicto secundo, & post eum Sabellic. Enead. 8. lib. 6. & Antoninus titulo 13. cap. 1. §. 3. scripserunt Constantinum quartum Imperatorem Constantinopolitanum, dicti Benedicti sanctione permotum*

 statuisse,

statuiſſe, vt quem deinceps clerus, populus, exercituſque Romanns in Pontificem delegiſſet, ordinaretur, nulla Conſtantinopolitani Principis, vel Italiæ Exarchi expectata ordinatione, & auctoritate, vt antea fieri conſueuerat (id enim ratum erat in creando Pontifice, quod Princeps confirmaſſet, vel qui eius vices in Italia gerebat) tum quia ſanctitas Pontificis ſolito more inſtituti (præter id, quod vix nota eſſe potuit vltra mare, cum dictus Benedictus vix decem menſes ſuperſtes fuerit) potiùs monere debuit ad obſeruandum tam ciuilem, & receptum morem, quam ad illum infrigendum, tum quia illud mutuati ſunt à Bibliothecario authore ſuſpecto, quippe qui ſcripta ſua conſercinauit, & quibuſuis apocriphis, ſiue fictis ſcripturis in ſcrinys, vel bibliothecis Papæ, quibus præerat, repertis, modò eſſent in Domini ſui fauorem: Tum quia prætenſa illa conſtitutio Conſtantini (quam falſam puto) nunquam effectum ſortita fuit, vt expreſſe teſtatur Volateranus Antropologiæ libro 22. Ex cuius verbis poteſt deprehendi, vel modico tempore ſeruatam non fuiſſe, de quo ſatis conſtitit, paulò poſt Benedictum, in canone apud Platinam, Hæc Molineus.

Bembenburgius Epiſcopus Bamburgenſis, in dicto libro 8. ſcribit, *Licet Imperatores*

Romanorum

Romanorum ante tempora Caroli Magni, siue ex priuilegio Ecclesiæ Romanæ, siue ex more habuerint dispositionem sedis Apostolicæ, in tantum quod post electionem Romani Pontificis, decretum electionis Papæ, præsentabatur Imperatoribus, & postea cum eorum conscientia, & ordinatione Romani Pontificis institutio procedebat. vt patet in Canone, Agatho. distinctione 63. non tamen reperi in aliquibus Historijs, Chronicis, vel Canonibus, illos Imperatores illi priuilegio, siue mori renuntiasse; sed reperio, quod quidam Imperator, pecuniam, quæ erat dari solita Imperatoribus in ordinatione Romani Pontificis, remittebat; vt patet in d. Canone, Agatho, qui sumptus est ex gestis Romanorum Pontificum, vt ex superscriptione ipsius Canonis continetur.

Platina in vita *Gregorij* noni, qui præfuit Pontificatui, anno Christi 1072. *Gregorius* inquit; *Multis muneribus vltrò, citroq; missis cum Henrico Imperatore in gratiam redijt, qui eum in Pontificem Romanum confirmauit, vt tunc temporis mos erat.*

Ad 4. probatur, investituras etiam *Caroli Magni* tempore fieri consueuisse. *Liutfredes* Præsbyter Aninionensis, qui Pipino *Caroli*

Magni patre Rege Francorum & Alemannorum vixit, carta 42. anno Domini 754. *Trado vobis seruum meum nomine Nhideg, & vxorem eius Bruma, & cum oba sua, & cum omnia quo vestiti sunt, & alium seruum meum, nomine Vuolpharium, cum vxore sua Athane, cum oba sua, & cum omnia quo vestitus est*: Hoc est inuestitus & beneficiatus.

Hiringus lector, carta 58. quæ est de traditione *Pietæ* comitissæ, scripta sub *Hilderico* Rege illo, cui *Pipinus Caroli Magni* pater in Regno successit, anno Domini 745. *Post meum verò discessum, illas res ad Monasterium sancti Galloni ad melioratas reuertant*, &c. *manu vestita patribus meis, vel hæredum meorum: cum Dei gratia, & nostram successionem possideant*. Quamobrem manu vestita, est pacto, vel conditione feudali, vel emphyteoticaria dare: Hinc descendit nomen inuestituræ, cujus exempla habentur in chartis tempore *Caroli Magni*, & *Ludouici Pij* ejus filij, scriptis ab *Etchone* Archi-presbytero, 28. Anonymorum 95. & 97. ibi videri poterunt. *Remidingus* Presbyter, Carta 77. sub *Ludouico Pio* scripta de Abbate sancti *Galli*, post vestituram, & concessum easdem res illis in beneficium,

ficium, & censum concedimus.

Huinedeus clericus Nibalgauensis carta 77. quam scripsit anno *Pipini* Regis 15. hoc est de anno Domini 776. *Genitor noster Manulfus omnem hæreditatem, & substantiam suam tradidit ad monasterium sancti Gallonis, & nos posthac exuti de omni re paterna nostra, reuestimus Vuolfranum Monachum, & missum ipsorum Monachorum per tribus diebus, & per tribus noctibus, & per beneficium ipsorum Monachorum reintrauimus.*

Denique cum appareat de renuntiatione *Ludouici Pij*, & ita diuturna Romanorum Pontificum obseruantia intellexit, amplius in controuersiam poni non decet.

Et ex his satis superque licet intelligere *Baronium* valdè errasse, qui putauit ex eius scriptis persuaderi posse, historiam Ecclesiasticam *Sigeberti* falsam esse, atque imposturæ nomen mereri. Cur enim quæ antiquitus obseruata sunt, stare prohibentur, liber decretorum *Gratiani* ab antiquissimo tempore tanquam verus vbilibet terrarum receptus fuit, nulli vnquam huius imposturæ nomen suppetijt, Cur quæso in mentem *Baronij*, qui tantùm prima Grammaticæ ru-

 dimenta

dimenta Soræ in patria ſua ſemper profeſſus eſt, venire potuit? ita vt nouo homini Canonum ignaro, & ſui *Clementis* adulatori credi poſſit.

Nunc quomodo præfatam retro donationem *Leonis* impugnet, videamus, *Baronius* igitur annalium tomo 10. ſub anno Chriſti 964. §. 21. ita impoſturam etiam eſſe oſtendere conatur.

Primo, quia *Otho à Ioanne Papa conſecratus fuit, Imperator, vt omnes atteſtantur, ergo nihil opus erat, vt à Leone octauo patritius fieret, atque Rex, nam cum ipſo Imperio Patritiatus dignitas conceſſa fuit, & magis eſt vt Rex dici debeat, quàm Imperator.*

2. Quia in fine bullæ *Leonis* octaui, *Si quis cõtra hanc regulam, & Apoſtolicam authoritatem aliquid molietur hanc excõmunicationi ſubiacere decernimus, & niſi reſcipuerit irreuocabili exilio puniri, vel vltimis ſupplicijs affici: Hoc autem abhorret à Romanorum Pontificum conſtitutionibus, nimirum, vt violatoribus etiam pœna mortis irrogetur, vt ex his planè impoſtura noſcatur, ſed ab inſipiente fictore ineptè compoſita.*

3. *Cuius roboris dicta Leonina conſtitutio eſſe potuit, qui ab eo compoſita eſt, qui non eſt dig-*

nus

nus qui Pontifex appelletur ſed intruſus, & occupator potius nominandus eſt.

Nam ſub anno Domini 963. in §. 13. & ſequentibus & §. 24. & ſequentibus, probauerat Synodum illam generalem ſub *Othone*, *Iohannem* Papam 12. priuare non potuiſſe; qui legitimus Pontifex æſtimabatur, atque probabat, 1°. quia imputationes, & delicta contra Papam *Ioannem* oppoſita, per ſeptuaginta duos teſtes probata non fuere, prout neceſſarium erat.

2. Non præceſſerat trina citatio, ſed ſolum bina contra Papam *Ioannem* apparebat.

3. In nulla Synodo apparere poteſt Epiſcoporum conſeſſum ab Imperatore petijſſe, vt aliquem Epiſcopum, vel clericum condemnaret, ſed potius ab Imperatore poſtulatum, vt ſancta Synodus hominem Eccleſiaſticum damnet, quod ſecus factum apparet, videlicet hanc Synodum *Othonem* rogaſſe, vt *Ioannem* expelleret, & alterum ſubrogaret.

4. Quia cum idem Papa *Ioannes* conuocaretur ad Synodum, ad ſe purgandum dubitans ob propria ſcelera priuandum eſſe, atque alterum Pontificem ſui loco eligendum

gendum, literas dedit, quibus excommunicatione eos illaqueauit, qui ad electionem alterius Pontificis procederent; Ideo *Baronius* electionem de *Leone* nullam esse asserit, tanquam ab excõmunicatis factam, Quare in §.29. huius anni 963. concludit, *cum nulla ex parte condemnatio de Ioanne Papa subsistere possit, spurium, & sacrilegum Synodale iudicium fuisse, omnique ex parte inualidum reddi, ac penitus nullum simulque subrogationem Leonis in Ioannis loco factam eodem iure censeri, Scriptorumque errorem nullum veritati præiudicium afferre posse: Neque numerata Leonum ita nominatorum Pontificum series esse faciet, quod non est.*

Sed tantum abest, vt quæ hic *Baronius* contra *Leonem* scribit, vera sint, vt ipse idem *Baronius* veritatem in contrarium esse fateatur: Nam in tomo 10. anno Domini 996.§. 41. *Cum verò ante collatam, inquit, à Romano Pontifice concessionem eligendi Imperatorem electoribus ipsis, eo iure carerent, etiam Imperatores, vt successorem sibi deligerent, magno Othoni id primum à Romano Pontifice reperitur esse concessum. Extat de his Leonis Papæ octaui decretum, ad Othonem primum Imperatorem datum,*

quod

quod & recitant ipsi Nouatores, cùm inter alia ipse Pontifex, quo protrahat ipsum Imperatorem ad liberandãm Romanam Ecclesiam à tyrãnis oppressam, concessit ipsi facultatem eligendi sibi successorem; sunt hæc verba ab eisdem pariter recitata; Nos quoque Leo seruus seruorum Dei, &c. Episcopi similiter cum cuncto clero, &c. Successorem eligendi, &c. Idque factum vt auctoritate huius diplomatis, ipsi sibi filium eligerit successorem in regnum primo, deinde in Imperium promouendum: Ex præscripto igitur Romani Pontificis factum videmus, vt non Rex eligeretur ab electoribus, sed ipsi Imperatores Primus, & Secundus Otho successores regni in Imperium promouendos filios nominauerint: Quem igitur primùm *Baronius* improbauit *Leonem* octauam, nunc hisce verbis expressis, veritatem fatendo, approbauit: si Pontifex legitimus non fuit, si eiusdem acta irrita *Baronio* dicenda esse videntur, quare hoc eodem ipsiusmet Pontificis decreto, Imperium ordinari ipsemet tam vanè ostendat, vt non immeritò vel improbissimam calumniam, vel stultissimam suam ignauiam appellandam esse scriptum à plerisque fuerit.

Quod autem primo loco dicit, omnes

 fateri

fateri *Othonem* à *Ioanne* Papa coronatum esse. *Platina*, qui etiam Romæ scripsit, contrarium in *Ioanne* 13. dicit; *Hanc ob rem Otho in Italiam mouens quidem primo Berengarium, & Albertum filium in potestatem redegit, alterumq; Constantinopolim, alterum in Africam relegat, Mox vrbem ingrediens ab ipso Ioanne honorificentissimè suscipitur, coronaturque (vt quidam tradunt) accepto Germaniæ Pannoniæque titulo, quod reliqui Imperatores deinceps obseruarunt, translato tum primum ad Germanos Imperio.* Alij verò à *Leone* octauo hoc factum existimant, quorum opinionem *Gratianus* in decreto sequutus est, priorem sententiam *Richardus*, & *Cusentinus* non improbant, Lateranensis autem Bibliothecarius, *Othonem Ioannem* tempore Romam venisse, sed de ipsius coronatione nullam mentionem facit.

Ad 2um. sæpe sępius ius canonicum mortis pœnam imposuit, in cap. 1. De homicidio, habetur, quod homicida, qui per insidias necat, ab altari euelli debet, ita vt moriatur, quod idemque scriptum est, *Exod.* 21. & in cap. 1. De furtis, habetur, *Qui hominem furatus fuerit, & vendiderit, morte moriatur,* atque vtrobique firmant Canonistæ quod

Ecclesia

Ecclesia directè hanc mortis pœnam non infligit, sed indirectè videlicet degradando & tradendo, siue relinquendo curiæ seculari.

Ad 3m. Nunc *Baronius Leonem* Pontificem legitimum esse negat, & sub anno Domini 996. §. 41. legitimum probauit: sed quantum ad probationes ab eo inductas pertinet, respondetur, ad 1am. probationem; Inter omnes Canonistas duos duntaxat testes contra Papam sufficere receptum est, glossa singularis ab omnibus æstimata in cap. Præsul. causa 2. quęstione 5. & communiter ab omnibus approbata Abbas in cap. Per tuas in fine, de maioritate, & obedientia, & in cap. At si clerici. num. 3. de iudicijs, & in cap. Tertio loco. de probationibus, & in cap. Quoties. de testibus, *Corsettus* in singulari: 204. in verbo, Papa: & licet textus in ipso cap. Præsul. dicat contra Cardinales septuaginta duos testes requiri, ex eo idem si contra Papam agatur, inferri non potest, vti probant præfati Canonistæ: & de intellectu dicti cap. Præsul. & de causa, Cur. tunc temporis ita sancitum fuisset, scribit Abbas in cap. Licet vniuersis, de testibus, & *Gemini-*

anus in d. cap. Præſul. & Romanus in Authentica Similiter. verſiculo 34. Codice Ad legem falcidiam. Ad 2$^{am.}$ probationem, Negatur trinam citationem non interueniſſe, quoniam hiſtorigraphi ita ſcripſerunt, quibus in antiquiſſimis credendum eſt, præſertim longo vſu receptis.

Sigebertus Gemblacenſis in hiſtoria Eccleſiaſtica, ſub anno 963. *Collecto à tota Italia Epiſcoporum Concilio, Ioannes Papa de nefarijs cauſis infamatur, qui tertio euocatus, dum ſe excuſare, venire cunctatur, poſt multa tandem eo à cunctis præiudicato, Leo, adhuc laicus electione omnium, & conſenſu Imperatoris Papa ſubſtituitur.*

Sed eſto quòd bina tantùm citatio præceſſerit, vt *Baronio* in §. 24. anni 963. probatur, nonne vnica tantum & peremptoria ſufficit? L. Peremptoriam ff. de iudicijs L. contumacia ff. de re iudicata L. conſentaneum. C. quomodo, & quando iudex.

Ad 3$^{am.}$ non apparere aliquando Imperatorem aliquem Eccleſiaſticum cõdemnaſſe: Imò ſi *Baronius*, & ſui verum fateri velint, contrarium promptè oſtenditur, *Otho* 3. anno Domini 984. poſtquam intellexit *Gregorium* quintum, quem ipſe Pontificem conſtituerat,

ſtituerat, à Romanis dignitate pulſum eſſe, atque *Placentinum* ſuffectum fuiſſe Romam pertendens Simoniacum Papam vi cœpit, & conuocato à ſe Concilio, cauſa cognita, oculos erui iuſſit, *Gregorium* que ſedi ſuæ reſtituit. Item *Henricus* 2. Imperator anno Domini 1045. *Benedictum* nonum *Silueſtrum* tertium, & *Gregorium* ſextum Synodaliter depoſuit, vt eſt in *Platina*, in *Gregorio* ſexto.

Ad 4am. ſi propter excommunicationem Cardinalium electorum ipſæ Paparum electiones eſſent inualidæ, nullus Papa hucuſque verè electus dici poſſet, cum notorium ſit omnes Cardinales electores contra formam iuris canonici, & conſtitutionum Papalium palàm agere, atque cenſuras incurrere; Neque ipſe aſſertus Papa *Ioannes* 12. poterat ad Cardinales ſcribere, vt ſub excommunicationis pœna ad alterius electionem non procederent, tum quia ipſe *Ioannes* in Papatu intruſus erat, vt etiam *Baronio* probatur anno Dom. 963. §. 14. & intruſus in Papatu excommunicatus eſt, ſed excommunicatus alterum excommunicare non poteſt, cap. Audiuimus. cauſa 24. quæſtione 1.

one 1. *Innocentius* in cap. Si verò. de ſententia excommunicationis, Abbas in cap. Ab excommunicata.num.7. de reſcriptis *Felinus* in cap. Ad probandum. num. 7. de iudicijs, Tum quia à Concilio vocatus, ſpecialiter de ordine Imperatoris conuocato, qui perfidus, pacifragus, maleficus, adulter, Sodomita, ſacrilegus, & hæreticus accuſabatur, & ideo cum eius nomen inter reos recæptum fuiſſet, quolibet Catholico minor erat, ergo in Concilio contra ipſum congregatos excommunicare non potuit.

Miratur *Baronius* in d. §. 14. Cur etiam *Ioannem* de intruſione Papatus non accuſauerint, his verbis: *Sed mirum quod de eius intruſione in ſedem Apoſtolicam cum adoleſcens erat, decem, & octo annorum, nullum ſit factum illi negotium*: At ſcias illud non humanitatis gratia donatum eſſe, & indultum miſerationis ergò, ſed magno artificio prætermiſſum, etenim ſi fuiſſet *Ioannis* electio oſtenſa nulla, æquè *Othonis* Imperium, quod acceperat à *Ioanne* fuiſſet illegitimum declaratum, vtpotè collatum ab eo, qui Pontifex non fuiſſet.

Si igitur intruſus *Baronio* notoriè probatur,

batur, ergo in eius perſona electio nulla extitit, quamobrem omnia huius generalis Concilij acta, ex hoc ſolo ſubſiſtere dicendum eſt, & electio de *Leone* octauo impugnari nullo modo debet, & reſolutis oppoſitionibus *Baronij*; Cùm *Leo* octauus verus, & legitimus Pontifex fuerit, *Othoni* cedere potuit, atque Imperatoribus ſemper ſubiectum ſe declarare;

Licet *Henricus* Imperator ad habendam cum Eccleſia Romana pacem, in Conuentu Vuormatienſi, anno 1123. ius, & inueſtituram Epiſcoporum extinxerit, atque Eccleſiæ remiſerit, vt teſtatur *Otho* Friſingenſis Epiſcopus Chronicor. lib. 7. cap. 16. dicens, *Romano Imperio multis modis in ſe attrito, Imperator propter anathema deficere à ſe regnum videns, patriſque Henrici metuens exemplum, congregato iuxtà Wormatiam maximo Principum conuentu, inueſtituram Epiſcoporum, Legato ſedis Apoſtolicæ Lamperto reſignauit.*

Tamen hoc pro bono pacis ſibi ſoli, & non alij datum dicunt Romani; eadem repetit *Gotfridus* Vitembergenſis in Pāth. part. 7. & *Guillelmus* Tyrius de Bello ſacro lib. 1. cap. 13.

Leopoldus

Leopoldus Epiſcopus Bambergenſis De Zelo veterum Principum Germaniæ cap. 8. ſcribit. Has inueſtituras, ſeu poteſtatem inueſtiendi Imperator *Henricus* quintus, ſub anno Domini 1122. in manus Epiſcopi Hoſtienſis tunc Legati Eccleſiæ Romanæ, vice, ac nomine *Calixti* Papæ, ac eiuſdem Eccleſiæ, renuntiationem recipientis Vuormatiæ reſignauit, vt in Hiſtoria Francorum plenius continetur. Sed re vera iſta reſignatio, præſertim quoad inueſtituras Archiepiſcoporum, & Abbatum Monaſteriorum Germaniæ eſt eiuſdem *Henrici* quinti deuotioni, quam erga Romanam Eccleſiam habuit aſcribenda; Neque ipſi Imperio, eiuſque iuribus præiudicium facere potuit, vt probaui ſupra in cap. 4. propè finem, Præſertim quia omnes prędeceſſores ſui, Reges, & Imperatores, non tam virtute priuilegij Imperatoribus à *Leone* octauo in Concilio generali conceſſi, quam ex hoc quod vt plurimum erant patroni, ſeu dotatores Eccleſiarum Cathedralium & maiorum Monaſteriorum Germaniæ, inueſtituras Epiſcopatuum, & Abbatiarum in ipſis Germaniæ partibus vſque ad tempora *Henrici* facere

conſue-

consueuerunt, vt patet ex eadem Historia Francorum, & alijs Chronicis. Nec erat nouum apud ipsos tantum, Nam & Reges Hungariæ vsque ad tempora prædicti *Paschalis* (vt refert Chronica *Martini*, & Reges Burgundiæ, vt refert Historia Francorum sub gestis *Henrici* secundi, & etiam Reges Angliæ, prout *Eduardus* Rex Angliæ asserit in Epistola, quam scripsit Domino Papæ *Clementi* sexto, sub anno Domini 1343.) id ipsum in suis regnis facere consueuerunt, & Reges Angliæ & Normanniæ præbendas Ecclesiarum conferre solebant, quia ipse Rex est patronus earum, & habent ab eo magna feuda, ideo ratione iuris patronatus, vel ratione feudorum illa confert, vt notat Archidiaconus in cap. Imperium. distinctione 10.

Ergo resignatio quam *Henricus* ex religioso mentis affectu fecit, cæteris Imperatoribus successoribus præiudicare non potuit, Ideo *Marsilius Patauinus* in defensorio pacis part.2. cap.26. scribit, quod postea eandem renuntiationem ex causa legitima reuocare voluerunt, seu potius reuocarunt

ſimpliciter, aut in parte; *Otho* quartus, & *Fredericus* ſecundus Romanorum Imperatores, quamuis Epiſcoporum, & cleri Romani plurimas inſidias, perſequutiones, & impedimenta paſſi fuerint.

CAP. 9.

CAP. IX.

Ostenditur Pontificem Romanũ nullo modo in Reges, & Principes eorumq́ subditos animaduertere posse.

ROmanus Pontifex à Concilio Nicæno in suo Patriarchatu restrictus fuit, nec plus authoritatis, quam cæteri habent, consequutus est; Et si cæterorum Episcoporum respectu consideretur, omnes Apostolorum locatenentes existere, non autem Vcarios, secundum certa principia probatum est; Quo iure igitur hanc in reges, & principes, eorumque subditos potestatem habeat, neque *Bozius*, neque *Marta*, neque *Suarez*, aut quicunque alius, Romæ veritatem gustare non valentes, ostendere poterunt, & cum totam iurisdictionem vsurpasset, vt superius in progressu Papatus patuit; Quod *Suarez* in defensione fidei lib. 3. cap. 23. num. 10. asserit, ius Canonicum ab vniuersali Ecclesia approbatum esse, & ibi in §. 15. Ideo eo-

 dem

dem iure Papam Francorum Regem priuaſſe, aliumque inſtituiſſe falſum eſt, quoniam neque maior propoſitio in Eccleſia recipitur, cum ſæpiſſimè Theologi diuerſas à Canoniſtis ſententias approbent, Controuerſiarumque inter eos reſolutio firmata, atque recepta eſt, vt in cauſis fidei, Theologorum ſententia Canoniſtis præualeat, & *Baronius* multos Canones ſæpe falſos eſſe probat; Neque minor vera eſſe poteſt fundata in cap. Alius. cauſa 15. quæſtione 6. Vbi *Zacharias* Papa titulum Regni à *Childerico* Rege in *Pipinum* tranſtulit; Quod enim *Zachariæ* à *Gratiano* aſcribitur, cæteriſque Canoniſtis recipitur, falſum eſt, cum omnes illius temporis ſcriptores fateantur *Stephanum* ſecundum fuiſſe, qui *Pipinum* in Italia contra ſibi infeſtos *Longobardos* vocauit, atque venientem abſoluit à iuramento præſtito Regi ſuo *Chilperico*, eodemque inaudito, non vocato, non defenſo, nec accuſato, aut delato, vt ait Abbas Vſpergenſis, & *Eutropius* in lib. 22. ſcribit, atque *Eginhardus* in vita *Caroli* Magni, qui illius Cancellarius erat.

Non deſunt autem qui dicant, ipſum

Zachariam

Zachariam antea consultum fuisse, quis mereretur Regis nomen in Francia, an is, qui nomen tantum haberet, & nullam potestatem, an verò qui regeret, & Papam pro *Pipino* respondisse, & tunc Francorum more illum in solium eleuatum esse, atque *Chilpericum* in Monasterium detrusum, vt *Aymonius* in lib. 4. de gestis Francorum cap. 61. Quæ verba consequuta sunt quęstionem propositam de regno controuerso, non inter *Pipinum* & *Chilpericum*, sed inter *Pipinum* & *Griphonem* siue maiorem, siue minorem natu, qui post mortem *Caroli Martelli* patris eius *Pipini*, & *Carolomanni* tanquam primogenitus regnum patris, quod vsurpauerat in Gallia, ante depositionem *Chilperici* habere volebat, vt scribit *Aymonius*, in lib. 4. cap. 58. aduersus quem iam præscripserant, atque potiti regno erant *Pipinus* & *Carolomannus*, vt in eodem libro 4. de gestis Francorum cap. 59. Ab his igitur consultus *Zacharias*, quis illorum regnare deberet, respondit pro *Pipino*; Nam & ante *Zachariam* primum, & ante *Stephanum* secundum multis annis constat, *Carolum Pipini* patrem regnum vsurpasse, atque Franciam filijs per regna diuisisse,

ſiſſe, videlicet *Pipino* & *Carolomanno*, vt idem *Aymonius* in lib. 4. cap. 54. & 55. & 56. & 58. diffuſe ſcribit. Item quamuis legatio ad *Zachariam* pro *Pipino* dicenda eſſet, Reſponſio *Zachariæ* in conſequentiam trahi non debet, hoc enim cognitionem cauſæ merebatur, cum *Chilpericus*, qui Regiam poteſtatem per ſe ipſum non exercebat, ſed per Maiorem domus, ac duces, ideo minus Rex eſſet, quoniam illam regulam etiam ruſtici non ignorant, qui per alium facit, per ſeipſum facere videtur, quam Papa *Zacharias* ignorare oſtendit, & potius cum affectu iudicare; Nam & inprimis *Carolus Martellus*, & *Pipinus* Maiores domus aulæ Regiæ Regis Francorum erant, ergo ex ipſorum titulo poteſtatem, Regis nomine, non proprio, exercebant: Præterea ſi *Chilpericus* nullum ius habebat, cur depoſitus dicendus erat? Priuatio præſupponit habitum, quare *Gratiani* canon pro *Zacharia* ſcriptus, propoſito Canoniſtarum non deſeruit, vt poteſtati Papæ faueat, imò oppugnat, quia ignorantiam, atque corrupti affectus peruicaciā denotat: Ergo Papa author tranſlationis regni, & depoſitionis *Chilperici* dici nullo modo poteſt.

In

In cæteris verò a *Suarez* allegatis in dicto §. 15. nullus ex Canonistis fundamentum facit, nam & *Baronius* ab ipso citatus, hoc duntaxat scribit, *Ducebant* ait, *Francorum Reges in expeditione secum Episcopos complures, quorum consilijs, atque precibus iuuarentur*, &c. Ideo falsò allegatur, quod Episcoporum authoritate fulti regnum inter sese diuiserunt. Et ipsa extrauagans Vnam sanctam. *Bonifatij* octaui, à *Martino* quinto successore reuocata est, atque iussum, vt contra Regnum Franciæ vlterius non allegaretur.

Multo minus Canonistarum opinio iuuari potest, ex cap. Grandi. de supplenda negligentia prælatorum lib. 6. Nunc cum magnates Regni Lusitaniæ *Alphonsum* coadiutorem Regi *Sanctio* secundo eligerint, atque subditi in illis partibus, parùm de virtute iuramenti homagij ligij informati, quod ipsi *Sanctio*, eiusque filio iurauerant, valde dubitarent, an si coadiutori obediuissent, periuri essent, Pontificem Romanum *Innocentium* quartum consuluerunt, apud quem adhuc sanctitatis prædecessorum memoria continuabat, atque prudentissimorum hominum concursus viuebat: Sed

quod

quod per modum Consilij in quibusdam literis scripum est, vt *Hieronymus Bardus* scribit in sua Chronologia anni 1247. in §. de regno Portugalliæ, *Bonifacius* octauus iurisdictionis auidus, tanquam auctoritate Pontificia factum in sexto libro Decretalium compilauit: Quod si auctoritate Pontificiam factum esset, neque *Antonius Florentinus*, neque cæteri historici, qui *Innocentij* gesta annotarunt, tacuissent; ipsa verò epistola *Innocentij* ad *Alphonsum* scripta, suppressa est; Decretalis autem inde compilata multa tacuit, multaque addidit, veritas vnde colligi potuisset: Itaque quod consulendo dicitur, ad potestatem pertinere non potest. Certa erat iuris conclusio, subditos regni in periurium non incidere, si coadiutori à magnatibus pro regni salute electo obedirent; Hinc neque Regi *Sanctio*, neque eius filio præiudicium parari poterat; Nam & filij Regum pupilli, ac infantes, imò concepti tantum, ac in matris vtero existentes, in iure successionis regni conseruantur, datis illis tutoribus, aut curatoribus, vel administratoribus, in quorum datione Papæ potestas nunquam interuenit, Refert *Nicephorus Ca-*

lixti

lixti in lib.7. cap.20. *Saporem* nonum Regem Perſarum, anno Dom. 310. in matris vtero coronatum eſſe. *Iuſtinus* in li.3. tradit *Lycurgum* reſtituiſſe poſthumo nato fratri *Polidectæ* Regis Spartanorum Regnum, & eius nomine pendente minoritate, adminiſtraſſe, *Plutarch.* in vita *Lycurgi.* Regnauit *Clotharius* infans filius Regis *Clodouei* per quatuor annos, neque quandiu vixit, alius ei in Regno præpoſitus eſt, *Aymonius* in lib 4. de geſtis Francorum cap. 5. *Ioannes* filius *Ludouici* Regis Galliarum poſt mortem patris, natus adhuc quindecim dierum tanquam Rex ducebatur ad Remenſes, vt conſecraretur, ſed in itinere mortuus eſt, *Paulus Æmilius* in *Hutino.* *Baldarus* ferè in cunis exiſtens *Longobardorum* Rex fuit, *Procopius* lib. 3. In coadiutoribus, ſiue curatoribus dandis neque Papæ poteſtas interuenit, neque conſilium, quod ſingulariter aliquando factum eſt, ad exemplum trahi non debet.

Quòd verò allegant Pontifices Romanos aliquando regno Imperatores priuaſſe, hoc non ex abſoluta ſuper omnes alios poteſtate procedit, ſed quatenus priuati homa-

 gium

gium fidelitatis Pontifici fecerint, *Antonius* de *Rosellis* in tractatu de poteſtate Imperatoris, & Papæ in §. Decimæ rationi reſpondetur. Rex Neapolis cum de regno à Romano inueſtitur, fidelitatem, & homagium illi facere debet, & niſi alio ſacramento promittat ſe nunquam Imperium Romanum, eiuſque dignitatem adepturum eſſe, inueſtitura regni non conceditur: Hoc obſtabat *Carolo* quinto ad Imperium electo, quod *Clemens* ſeptimus relaxare recuſans, primum, exercitu *Borbonico* Romæ perterrefactus, mox pactis, & conuentionibus datis hinc inde ſpiritualibus, & temporalibus abſoluit: fidelitatis ratione ſubditus fieri dicitur, Nec eſt nouum, vt Dominus ex cauſa ſubditum ſuum priuare valeat: In cæteris Regibus iuramento non ſubiectis, nihil certi vnquam firmare poterunt. Sed è contra ſæpe factum eſt, vt Pontifices, qui propter inueſtituram ſe Imperatori ſubiecerunt, ab illo priuati, atque puniti fuerunt, *Otho* tertius Placentinum Papam ſymoniacum priuauit, atque occulos erui iuſſet, *Henricus* ſecundus *Benedictum* nonũ, *Syluestrũ* tertium, & *Gregorium* ſextum depoſuit, vt alias ſupra recenſuimus.

Huc-

Hucuſque ex nullo iuris Canonici expreſſo canone hanc ſupremam in Pontifice Romano Regis priuandi poteſtatem probari poſſe, conſtat; Nunc idem probandum eſt, ex ipſis veris principijs, atque concluſionibus iuris canonici. Eſt de iure diuino, vt ſubditi ſuis Regibus obediant, ergo Papa illos regnis deponere non poteſt, quoniam contra ius diuinum diſpenſare prohibitus eſt. cap. Sunt quidam. diſtinctione 14. cap. Literas. de reſtitutione ſpoliatorum, gloſſa in cap. Propoſuit. de conceſſione Præbendæ. *Hieremiæ* cap. 17. verſ. 12. præcepit populo, vt obediat Regi Babel, dicens, *Submittite colla veſtra ſubter iugum regis Babilonij, eique, & populo eius ſeruite, vt viuatis*, Ita Iſraelitæ ſe geſſerunt erga *Pharaonem*. Exod. cap. 5. Cui etiam veniam ſupplicarunt, vt liberè diſcedere poſſent. Ita erga *Cyrum*, Eſdræ cap. 1. à quo etiam reditus veniam impetrarunt, vt templum ædificarent.

Et D. *Paulus* ad Roman. cap. 13. hortatur omnes mortales, vt propter conſcientiam ſuis Dominis ſubiecti ſint. Item 1. ad *Timot*. cap. 2. orandum pro omnibus iubet, & præcipue pro Regibus, & in authoritate

conſtitutis, vt ſub ijs piam & pacatam, honeſtamque vitam degamus; Et D. *Petrus* in Epiſtola 1. cap. 2. Omnibus quidem poteſtatibus ſuperioribus obtemperandum eſſe, iubet, ſed potiſſimum Principibus, ac in eminenti collocatis; Etiam in Euangelio diſpoſitum eſt, *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.*

Reges ipſi quantumcunque peccauerint, etiam ſi diuinæ maieſtati rebelles extiterent, quouſque vixerint in regnis tolerandi ſunt. *Azias* Rex Iudę, eò quod non eſſet idolorum excelſa demolitus, Item quia incenſum ſuper altare adolere præſumpſerat, quod ad ſacerdotis tantùm officium pertinebat, lepra à Deo percuſſus eſt, ſed leproſus factus, regno priuatus non fuit, quamuis *Iotham* Regis filius Palatium gubernaret, terræque populum, vti coadiutor, vt in 4. libro Regum cap. 15. & in 2. libro Paralip. cap. 26. Cùm *Saul* à Deo reprobatus eſſet, adhuc iudicabat, eiuſque iudicium, quandiu vixit, populus expectabat 1. Reg. cap. 15. *Dauid* adulter fuit, & homicida; *Salomon* ad idolatriam inclinauit, ſed obtemperauit. *Achab* etiam, quamuis coleret *Baal*, tamen decem tribus iudicabat.

iudicabat. Quod autem contra ius diuinum diſpēſare non valeant, ſententiam dixerunt etiam illi, qui poteſtatem Papæ tantum, vltra iuſtum, extollerunt. *Aquinas* in quodlibeto 4. articulo 13. & quodlibeto 9. articulo 15. Summa Angelica in verbo, *Papa*, *Turrecremata* in libro 2. de Eccleſia cap. 107. *Io. Maiorinus* in 4. libro ſententiarum diſtinct. 24. quęſt. 12. Sūma *Silueſtrina* in verbo, *Papa*, quæſtione 16. *Ioannes Driedon* in libro de libertate Chriſtiana, pagina 204. *Dominic. Soto* in libro 1. de Iuſtitia, & Iure, quæſtione 7. articulo 3. *Iacobus Almaign.* in tractatu de poteſtate Eccleſiæ, cap. 13. vbi valde inuehit contra Canoniſtas, qui contrariam ſententiam affirmarunt, eorumque omnibus rationibus reſpondet, atq; oſtendit Papam ex nulla cauſa contra ius diuinum diſpenſare, vel derogare poſſe, etenim lex diuina continet quæ ab ipſo Deo determinata ſunt, non ſolum in communi ratione iuſtitiæ, ſed etiam quo ad ſingulares actus, qua ratione diſpenſationem non recipit, niſi ab ipſo DEO. *Aquinas* in prima ſecundæ, quæſtione 100. articulo 8.

Improbus eſt eorum prætextus, qui rebellant

bellant in Regem, vel populum commouent, vt vexatione meliorem illum faciant, quoniam tanquam Dei potestatem vsurpantes arguendi sunt, vt scribit *Anacletus* Papa in 1. Epistola, relatâ in cap. Si omnia. causa sexta, quæstione 1. *Si omnia*, inquit, *in hoc sæculo vindicata essent, locum diuina iudicia non haberent superuacuis enim ad beneficia laborat impendijs, qui solem certat facibus adiuuare, ideo si aliquis putat, se Deo in hoc placere, quod seruos suos accusant, & vt meliores fiant, dicit se hoc agere, in vanum laborat, & plus inuidiæ stimulis agitatur, quam charitatis; quoniam gratiæ plenitudo adiectione non indiget, nec vlla requirit commendationis augmenta.* Ergo ista tentantes, Dei indignationem effugere non possunt, & potius malè repugnãtes Dei iudicio relinquendi sunt, quàm sacrilegio manus polluendæ: Deus enim modis non caret, quibus vti potest, quando Reges malos tollere, aut emendare voluerit. Rex Monarcha solum à Deo dependet, atque illi soli pro animabus subditorum ipse rationem redditurus est. D. *Paul.* ad Roman. cap. 13. Cùm Israelitæ à Rege *Pharaone* affligerentur, illum in iudicio non vocarunt, vt causam

ſam diceret, nec in eum ideo conſpirarant, aut rebellionem fecerunt, ſed clamauerunt ad Deum, qui voces eorum exaudiuit, Exodi cap. 2. verſ. 24. ſic nec captiui ſub tyranno *Nabuchodonoſore*, & alijs Regibus, illis diem dixerunt ſuſcipiendi iudicij coram alijs Regibus, ſed ad Deum, qui ſuperior eſt Regibus, & Papa prouocarunt: Propter peccata ſubditorum plerunque Deus Reges in furore ſuo dat, atque hypocritam regnare facit: Miſerrimi omnium eſſent Principes, ſi cenſuræ, ac iudicio ſubditorum expoſiti eſſent, impoſſibile enim foret Principem quamuis bonum & iuſtum omnibus placere poſſe, maxime malis, qui iuſtitiæ metu terrentur, atque bonis ſibi aduerſarijs inuident. Nec vnquam melior, iuſtior, innocentior inueniri potuit ipſo Principe, & Rege Regum Ieſu Chriſto, quem nihilominus populus ſuaſione, & ambitione eorum, qui præſtantiores haberi volebant, ad mortem, tanquam abominandum poſtulauit, eique inſignem latronum principem Barabam prætulit.

Quæ poteſtas Romano Pontifici data non conſtat, neque ex iure Canonico, eiuſq;

Principijs

Principijs fundatur, eiuſdem defectus reſpectu ſubditorum Regis manifeſtus apparet, ſed nequid in hac materia deſiderari poſſit, etiam retentis fundamentis aduerſariorum, oſtendamus, ne iuramenti quidem ratione aliquid ſuper eoſdem moliri poſſe.

Primùm pro certo firmandum eſt, fidelitatis iuramentum, quod à ſubditis Regi fit, proprium homagium ligium appellari. Speculator in titulo de feudis, §. Quoniam. num. 3. Sed homagium pro rebus temporalibus tantum præſtari, certum eſt, & ipſum ius canonicum docuit in cap. vltimo, de regulis iuris: *Indignum eſſe*, ait, *& a Romanæ Eccleſiæ cõſuetudine alienum, vt pro ſpiritualibus facere quis homagium compellatur*, & ibi omnes Doctores rationem concludunt quia ſolum pro rebus temporalibus Regibus & Eccleſiæ præſtari debet, ita etiam probant *Andreas* in titulo de noua forma fidelitatis, *Alexander* in L. Si finita. §. Si de vectigalibus. num. 20. ff. de damno infecto. & declarat *Baldus* in conſilio 291. vol. 1. vt ſiquis promittat ſe alicuius hominem eſſe, & habitare vbi Dominus ipſe voluerit, atque ſeruitia exhibere, quæ iniunxerit, homagium facere dicitur,

id eſt

id est promissionem, quod homo suus existat, *Decius* in consilio 413.num.3. *Cassaneus* in consuetudine Burgundiæ, rubrica 3.in principio,num.16.& in rubrica 9.§. 5.num. 5. qua ratione homagium esse rem temporalem probant, *Antonius Corsettus* in cap. Grandi.num.150. de supplenda negligentia Prælatorum, *Antonius de Butrio* in cap.Veniens.num. 3. de accusationibus, & ibi *Felinus* num. 7. *Philippus Probus* in tractatu de iure regali & priuilegio 43. num. 13. *Homagium* igitur temporale commodum illius continet,cui præstatur,eiusque pręstans subditus, & vassallus efficitur, atque ad certa seruitia obligatur.

Propterea ipse idem Papa declarauit, hoc fidelitatis sacramentum, quod inter Reges præstatur ad eius iurisdictionem non pertinere, eo quia solum temporalitatem concernit,in cap.Nouit.de iudicijs,vbi existēte lite, & controuersia inter Regem Angliæ,& Regem Franciæ super regione, quam habebat citra mare præter Comitatus *Oiæ*, & *Guines*, cuius historiam describit *Igneus*, in tractatu vtrum Rex Franciæ recognoscat Imperium, num. 42. & in repetitione legis primæ, §.

Non alias.num.415. ff. ad *Syllanianum*, atque *Budinus* in ſua Republica cap.5. Cùm litis occaſione, bellum ortum eſſet, tandem tranſlatione inita, atque iurata, Rex Franciæ iterum Angliæ Regem tædio afficiebat, pacis capitula non obſeruando, & cum Regis Angliæ intererat in tranſlatione perſiſtere, atque ageretur ſuper obſeruantia iuramenti, quod in temporalibus conſiſtebat, conſultus Papa reſpondet, non eſſe intentionis ſuæ turbare iuriſdictionem Regis, nam cùm de rebus feudalibus ageretur, pro quibus fidelitas facta fuerat, ipſe qui directus Dominus eſt, & feudi, & iuriſiurandi temporaliter pro eo præſtiti, competens iudex eſt. *Baldus* in concil.275. volumine 2. & in cap. Quæ in Eccleſiarum. de conſtitutionibus, & *Soccinus* in cap. Ex tranſmiſſa. num.36. de ſuo competenti, aſſerunt, dum Papa Regis iuriſdictionem ſe nolle turbare, profitetur, clarè oſtendit, iuramenti à ſubditis obſeruantiam nihil ſpiritualitatis continere. Ex alijs etiam probari poteſt, iuramentum ſubditorum temporalitatem tantùm continere; Nam & creditor etiam cui à debitore ſoluere iuratum eſt, ipſum iuramentum remit-

tere poteſt, vt probat *Bartolus* in l. 1. §. Et poſt operis. num. 7. ff. de noui operis nuntiatione & in L Labeo num. 5. de iureiurando, Abbas in cap. 1. num. 4. de iureiurando, vbi quod Creditor remittit periurium, & nulla alia abſolutione opus eſt, & ibi diſputat, vtrum Papa hoc iuramentum remittere poſſit, & concludit non poſſe, quia in præiudicium eius, cui iuratum eſt, nihil facere poteſt.

Ex quo infertur Papam impedire non poſſe, ne ſubditi, ſuo Regi, cui naturaliter debent, homagium faciant, Abbas in cap. Cùm parati. num. 9. de appellationibus, Idem, ait, dici debet in Papa, vt non poſſit impedire, quo minus Prælatus aliquis obedire teneatur quia Papa naturalem obligationem Regi quæſitam tollere non poteſt, vt habetur in *Clementina*, Paſtoralis, de re iudicata, & per *Innocentium* in cap. Cùm inter. de renuntiatione.

Multo minus, ne ſubditi Sacramentum factum obſeruent impedire poteſt D. *Ambroſius* in lib. 3. officiorum cap. 10. ita ſcribit: *Innocens credit omni verbo, non vituperanda facilitas, ſed laudanda bonitas; hoc eſt innocentem*

 eſſe,

esse, ignorare quod noceat, etsi circumscribitur ab aliquo, de omnibus tamen bene iudicat, qui fidem in omnibus esse, arbitratur. Hac igitur mentis suæ deuotione inclinatus Iosua, vt crederet Gabaonitis, testamentum disposuit, pacem dedit, confirmauit societatem. Sed vbi in terras eorum ventum est, deprehensa fraude, quod cum essent finitimi, aduenas se esse simulauerunt, circumscriptum se populus patrum indignari cœpit, Iosuæ tamen pacem, quam dederat, reuocandam non censuit, quia firmata erat Sacramenti religione, ne dum alienam perfidiam redargueret, suam fidem solueret. Item si iuramentum Regi præstitum non obseruaretur, vt illimet aliquid offensionis fieret, transitus de vno malo ad alterum fieri diceretur, videlicet à periurio ad offensionem, sed ita dispositum est, vt quando ad alterum malum transitus fit, iuramentum etiam illicitum semper seruandum sit, cap. Si quis præuentus. § Ecce. causa 22. quest. 4. in vers. 14. *Vt in aliud malum transeat, illicitum Sacramentum damnabiliter seruatur, sed damnabilius contemnitur*, cap. Mulier. §. Ex his. causa 22. quest. 4. in versic. *Vt in aliud malum pernitiosum declinet, tantò grauius delinquit, quanto damnabilius peccata peccatis accumulantur.*

mulantur. Ideoque ſi Papa mandet iuramentum à ſubditis ſuo Regi factum, non obſeruari, & ita periurium fieri, obediendum non eſt, quia peccandi licentiam dare non poteſt, vt probat *Felin.* in cap. Si quando. de reſcriptis. & in cap. Accepimus. de fide inſtrumentorum, Abbas in cap. cum teneamur. de præbendis, Item cum ex eius præcepto aliquod ſcandalum oritur, aut malum futurum præuidetur, obediendum non eſt, *Innocentius* in cap. Inquiſitioni. de ſententia excommunicationis. Abbas in cap. cum parati. num. 10. de appellationibus. Scandalum eſt aliquod dictum, vel factum, alijs ruinæ occaſionem præſtans. Aut ſi alicui impedimentum præſtatur in via aliqua, quam proſequi intendebat *Aquinas* in ſecunda ſecundæ, quęſtione 43. articulo 1.

Multo minus obediendum eſt, ſi ſubditis Regis mandaret ne iuramentum factum obſeruarent, atque in Regis perſonam inueherent, quoniam anathema faceret, vt expreſsè diſpoſitum eſt à *Bruccardo* & *Iuone*, quod Diuo *Auguſtino* aſcribitur, & habetur in cap. Si quis laicus. cauſa 22. quęſtione. 5. *Si quis Laicus iuramentum violando prophanat*,

quod Regi, & Domino suo iurat, & postea perversè, & dolosè eius regnum tractauerit, & in mortem ipsius aliquo machinamento insidiatur, quia sacrilegium peragit, in Christum Domini manum mittens, anathema sit, &c.

Essæi, qui inter Iudęos profitebantur exequutionem verbi Dei, resoluerunt, etiam principes supremos, qualescunque sint, immobiles inter subditos, vt sacratos, & à Deo missos esse debere, vti attestatur *Iosephus* de factis Iudeorum, quoniam lege diuina scriptum est, *Principi populi tui non maledices*, Exodi cap. 22. vers. 28. Actorum cap. 25. vers. 5. In Canone Apostolorum 54. & 83. multò magis prohibitum est, in illum inuehere, nam *Qui potestati resistit, ordinationi Dei resistit*; Ad Roman. cap. 13. & quamuis Principes vitijs obnoxij esse consueuerint, tamen potestati detrahendum non est: Nam & filij *Samuelis* degenerabant, & in populo tyrannicè viuebant, ita vt populus iustam occasionem eligendi sibi Regem habere videbatur, tamen consultus Deus, eorum petitionem ægre tulit, dicens, *Non te, sed me spreuerunt*, 1. libro Regum cap. 8. Celebre dictum *Michaelis Orsauhi* Hungariæ Palatini allegari

solitum

ſolitum eſt; Nam cum reliqui proceres *Matthiam* deijcere cogitarent, *Quemcunque*, inquit, *ſacra corona coronatum videris, etiam ſi bos fuerit, adorato, & pro ſacroſancto Rege ducito, & obſeruato*, *Bonfinius* libro 3. Decade 4. Quamuis Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſæpe reprehenderit auaritiã, impietatem, & ſcelera Phariſæorum atque Scribarum, tamen iuſſit eis obtemperari, quia ſedebant in cathedra, & ſede poteſtatis, Matth. cap. 22. verſ. 17. Marci cap. 11. verſ. 14. Lucæ cap. 20. verſ. 22. Nullus magis tyrannicè imperauit *Nabuchodonoſore* Rege Aſſyriorum, qui inuaſit ciuitatem Hieruſalem, & polluit templum, & ſanctuarium, diremit domos, ciuitatemque, necauit Regem Iſrael, & maiorem partem populi, aliam vero alio tranſtulit, iuſſitque ſtatuam ſuam adorari, Daniel cap. 6. & tamen Prophetæ Dei, qui ſub tyrannide premebantur, tantum abeſt, vt arma contra eum ſumenda, eumque necare conſulerent populum, imo contra iuſſerunt, continuo pro illo orandum eſſe, vt illi filijſque eius Deus longæuam æternamque vitam concederet, & pro regno eius Baruch cap. 1. Hieremiæ cap. 29. A Chriſto

paſſo

passo vsque ad *Diocletianum* propè tercentum anni decursi sunt, & quamuis Christiani innumera, crudeliaque tormenta passi fuerint, & clades atrocissimas, semel viginti millibus necatis, alijs integris populis extinctis, tamen nusquam omnino legitur, Christianos licet pares viribus, & numero fuerint, vi, & armis aduersus leges, & Rempublicam, siue Imperatorem, ac securitatem eorum, ne minimum quidem molitos fuisse, siue rebellasse.

In Concilio Constantiensi, Sessione 15. damnatus est ille articulus, quod quilibet tyrannus possit, & debeat licitè, ac meritoriè occidi per quemcumque subditum suum, etiam per insidias, vel blanditias, non obstante quocunque iuramento præstito, Aduersus quem errorem Sancta Synodus statuit, ac definiuit, huiusmodi doctrinam esse erroneam, & scandalosam, & ad proditiones, atque periuria viam aperientem, reprobat, atque condemnat.

Non potest igitur Papa aduersus legem Dei, aduersus bonos mores, Patrumque constitutiones, quæ in iure canonico suo receptæ fuere, item aduersus dispositionem

Concilij,

Concilij, ſubditis Regis permittere, ne iuramentum obſeruent, & in Regem inuehant: ex hoc maximum ſcandalum in Eccleſia Dei oriri, manifeſtum, ideoque obediendum nullo modo eſt. *Ioannes Gerſon* in I. parte ſuorum operum, in illo tractatu, qui inſcribitur De *Auferibilitate* Papæ, conſideratione 14. per quam docuit, non eſſe obediendum Papæ determinanti aliquod ſcandoloſè contra Eccleſiam, aut cùm vim alicui Regno inferri iubet, his verbis vtitur. *Fatemur illa duo, ſuſpenſionem aut detractionem ab obedientia Papæ fieri non debere, niſi manifeſtis cauſis vrgentibus, ne in corpore Eccleſiæ deterior, & generalior ſciſſura fiat, & inducatur, dum particularia membra non obedire conſueſcunt, ſicut Ariſtoteles in Politicis, peſſimum eſſe conſueſcere, non obedire Principi ſiue Regi: quanto magis erronea, & damnanda eſt aſſertio, quod liceat vnicuique ſubditorum mox vt aliquis eſt tyrannus, ipſum omnibus vijs fraudulentis ac doloſis, ſine quauis authoritate, vel declaratione iudicaria morti tradere.*

Clarius infertur eoſdem ſubditos à fidelitatis iuramento abſoluere non poſſe, nulla poteſtas ipſi Papæ ad hoc data eſt, omnia iura

in contrarium clamant: De potentia agitur, propter cuius defectum, quicquid in contrarium facere attentauerit, veluti nullum ſpernendum, & deridendum eſt. Imò ne ipſi quidem Rex, cui iuratum eſt, ſubditorum homagium relaxare poſſet, *Innocentius* in cap. Quanto. de iureiurando. Archidiaconus in cap. Auctoritatem. cauſa 15. quæſtione 3. *Lucas* de penna in L. 3. C. de his qui numero liberorum ſe excuſant libro 11. quos ſequitur *Marinus Freccia* in libro 2. de ſubfeudis in 2. authoritate, num. 9. ergo multo minus Papa ſine authoritate poteſt. Solus Rex regno præiudicium facere non valet, niſi ſaltem maior procerum pars concurrat; quomodo igitur Papa, etiam ſi poteſtatem haberet, facere poſſet. Quicunque Princeps ius ex contractu quæſitum, auferre attentauerit, tyrannus ab omnibus appellatur, *Curtius* in conſilio 73. col. 29. in fine. *Io. Gallicus* in conſilio 2. num. 117. inter conſilia feudalia diuerſorum. Defectus igitur omnis poteſtatis in Papa eſt, neque poſſe dicitur, quod cum peccato poteſt, cap. Faciat. cauſa 22. quæſtione 2. per quem textum ita probat *Andreas* in cap. 1. de controuerſia

inter

inter dominum, & emptorem. *Antonius Capycius* in decisione 166. num. 12. sed auferre ius quæsitum, magnum peccatum est, irritare subditos in dominum contra ius naturale, & diuinum, multò maius. Per homagium factum Regi, ipsi Regno ius quæsitum est, cui neque ipse Rex, neque superior quicunque esset, præiudicium facere debet, iuramentum rem non integram esse facit, & ideo quicunque contractus, ipsius vi, irreuocabiles fiunt, vt communiter per omnes Doct. in L. Si pecuniam. ff. de condictione causa data, quos refert *Couarruuias* in libro 1. Variarum resolutionum cap. 14. num. 10 Ideoque eo ipsò quod subditi sacramento homagij præstito contraueniunt, nimirum si absolutionem petierint, respectu Regni in periurium incidunt, cuius ęquè principaliter interest illud obseruari, & omnis audientia subditis deneganda est periuris, si veros fori terminos obseruare volumus, vt est decisio Rotæ 883. parte 1. in illis, quas vocant, Nouissimas, & probant Addentes super 30. decisione.

Neque exemplum de *Gregorio* 7. *Henricum* Imperatorem priuare attentante, neq; aliud

de *Ioanne* 22. excommunicante *Lotharium*, ipsam veritatem impugnare possunt; Nam quantum ad *Henricum* omnia per *Baronium* pro *Gregorio* scripta in annalium tomo 11. sub anno 1077. §. 17. reprobat, falsaque esse probat *Melchior Haiminsfeldius Goldastus* in Constitutionum Imperialium parte 1. fol. 43. & seq. impressionis Francofurtensis, atq; ostendit *Henricum Wormatiæ* concilium Episcoporum conuocasse, atque *Gregorium* propter sua scelera, citatum, & non comparentem, fuisse priuatum, Acta ipsius concilij Wormaciensis ibidem descripta sunt.

Quòd vero ad *Ioannem* 22. licet *Lotharium* excommunicauerit, Vbi in Germania hæc comperta fuerunt vt dicit *Auentinus* in Annalibus lib. 7. *Ludouicus* 4. *Imperator, diuini humanique iuris consultissimos quosque in Italia, Germanijs, Gallijs, præcipuè Bononiæ, atque Lutetiæ iure vtroque, atque sacris literis peritos consulit. Hi omnes scripsere acta & dogmata Ioannis aduersus Cæsarem Christianæ simplicitati, & diuinæ philosophiæ repugnare, extant huiusmodi consilia Theologorum in bibliothecis in membranis scripta contra Vigesimum secundum; libros quoque edunt*

edunt hi amici Ludouici, Marſilius Patauinus, Ioannes Gaudunenſis, Luitpoldus de Bebēburg, Andreas Laudenſis, myſta Fruxinenſis Auguſtæ magiſter Epiſtolarum Vlricus Hangenor Auguſta ortus ſacro Cæſaris ſcrinio præfectus, Dantes Algerius, &c. Hæc *Auentinus*.

Hedion in Paralipomenis, *Diſcordiæ cauſam*, ait, *inter Ioannem 22. Papam, & Ludouicum Bauarum, ferunt fuiſſe quendam Vlrichum de Auguſta ſecretarium, qui in quibuſdam Regijs literis, ſummum Pontificem vocarit beſtiam ortam è mari, & alijs conuicijs, idque ignorante Ludouico, eum proſciderit.* Cuius *Vlrici* meminit *Albertus* Argentinenſis, vbi eum connumerat in legatis ab Imperatore ad Pontificem miſſis, his verbis, *Et magiſter Vldaricus, protonotarius Principis, Decretiſta.*

Hainricus Rebdorffenſis, anno 1339. *Ludouicus ſollemnes nuntios mittit de Conſilio Principum ad Papam Benedictum pro reconciliatione, quibus ſine fine in Alemaniam reuerſis, Principes electores Imperij conueniunt, & per iuramenta diffiniunt. Quòd quicumque de cætero ipſum Ludouicum tenet excommunicatum, aut qui ceſſat à diuinis propter ſententias Papales, proſcriptus ſit*

corpore, & in rebus.

Albertus Argentinensis in Chronic. *Post hæc Ludouicus Princeps anno Dom.* 1338. *in Franckfurt vocata Curia, de consilio quorundam fratrum Minorum, inter alia declarauit, processus quondam Domini Ioannis Papæ nullos, & quod Papa non possit contra Imperatorem talia attentare, cùm iurisdictiones sint distinctæ,* &c.

Albertus Crantzius Metropol. Saxon. lib. 9. cap. 15. *Ludouicus* &c. *In Germaniam reuertitur, conuentuque Regni conuocato permagnifico, Francofordiam, ad quem etiam vocauerat Reges Imperio non parentes. Venerat Rex Angliæ Imperio nihil debens, aderat Rex Bohemiæ Ioannes Henrici VII. filius, cæterique Regni tam spirituales, quam temporales Principes. Ibi constituta sunt multa, quæ ex dignitate Imperij tum sunt visa, Inter alia vero, quod electus à Principibus, aut à maiore, & saniore parte administrationem habeat, citra assensum Pontificis.* Et paulo infra: *Quis enim Romanus Pontifex consecrauit Constantinopolitanos Imperatores? Et quis ante Carolum multos Christianos Cæsares? Et ante Constantinum Ethnicos quis consecrauit Imperatores? &c.*

Hul-

Huldricus Mutius in Chronic. dicti anni, *Cum autem excommunicatio Ludouici, quam aduersus eum Pontifex Ioannes* xxij. *promulgarat, iam rata magis haberetur, quàm nunquam antea; Imperator inops consilij, vbique quærebat consilium: Consulebat autem Monachos, qui apud Principes ob doctrinam & probitatem, adhuc in pretio erant, consulentibus igitur quibusdam Monachis sancti Francisci, conuocat Francofordiam Principes, & illic ex Comitijs decretum sub sigillo suo edidit & promulgauit, contra processus Ioannis Pontificis, quod ad verbum sic sonat, &c.*

Cætera omitto, quæ ex *Ioanne Nauclero* Præposito Tubingensi in Chronic. generat. 45. ex *Hedione* in rerum memorabilium Paralipomenis ad Abbatis *Vrspergensis* Chronicon, ex *Marquardo Frebero* Germanicarum rerum scriptore tomo primo, in Appendice videri poterunt, Etiam *Melchior Haiminsfeldius Goldastus* in rationali Constitutionum Imperialium in parte secunda primæ partis fol. 99. vbi legitur constitutio *Ludouici* IIII. Imperatoris de iuribus, & excellentia Imperij, & fol.

fol. 101. vbi ſcripta eſt Apologia eiuſdem *Ludouici* Imperatoris publicè contra calumnias *Ioannis* xxij. Papæ propoſita Francofurti, eodem anno 1338. octauo Idus Auguſti.

CAP. 10.

CAP. X.

De Papatus Diminutione, & extinctione ipsius.

PRopter iniustitias enim suas humiliati sunt, Psalm. 106. *Regnumq; à gente in gentem transferetur propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, ac diuersos dolos*, Ecclesiastic. cap. 10. Cùm Papa in libidine dominandi in præceps abierit, ita vt quicquid sibi liberet, licitum esset, voluntatemque suam contra mores maiorum, contra leges, & contra auspicia accommodauerit, fucusque factus fuerit Christianus, multas constitutiones condere exorsus est, eisque Christianos ligare, donec pecunia, ab impetrantibus harum legum gratiam, illi solueretur: Nummus igitur diuitibus licitum facit, quod pauperibus prohibitum remanebat, illicitisque his legum, & constitutionum humanarum retibus, non modò magna nummorum copia expiscata est, sed & maxima inter æquè Christianos orta iniquitas, plena offendicula, & simultates, dum

pauperes his laqueis ſe illaqueatos remanere viderint, non ob aliud, niſi, quòd ſpinas Euangelicas (ita enim Chriſtus diuitias non ſemel appellat) non poſſideant, quòd ſi nummi ſpes refulſerit, iam quod primò erat prohibitum, impunè, ac liberè facere licitum erat. Matrimoniorum tam innumera excogitauit obſtacula ex affinitatis, publicæque honeſtatis cognatione ſpirituali, legali, & conſanguinitatis tam multis gradibus originem trahentia, in quibus relaxandis, pauperis, ac diuitis ſemper diuerſa conditio extitit, Principum vero ab alijs diuerſa fuit, pro his enim aliquando Papa derogare recuſauit, quod minoris gradus ſoluentibus, paſſim permittit. Nuptiarum ſolemnia celebrari à Dominica ſeptuageſimæ prohibuit, ſed ita demum interdictum illud procedit, ſi gratis facere quis intendat. At ſi nummi ſpes refulſerit, quod primùm erat prohibitum, impunè, ac libere facere licet.

Sub prætextu pietatis, vel baſilicas Romanas conſtruendi, vel profectionem in Turcas parandi, indulgentias concedendo, omnem ſimplicibus, nimiumque credulis exugit pecuniarum medullam & per has impo-

imposturas, & conductitios prȩcones, venales suas bullas facit, imò pro pretio impunitatem peccandi pollicetur, ex quo mortales nihil amplius horrent, si sibi peccandi licentia, & impunitas ne dum in vita, sed post mortem ære licet immodico comparari à mercatoribus illis indulgentiarum, semel persuasum habent. Quæ pecuniȩ postea non in rem fidei, aut reipublicæ Christianæ, sed in propinquorum, luxum, ac subleuandam ipsorum familiam conuertitur. Casus etiam aliquot suæ absolūtioni dunxtaxat reseruat, quod si vnum, aut alterum commiseris, aut aliquid numerandum est, aut absolutione carendum; Ad hoc enim reseruati sunt, vt aliquid reseruanti accrescat, nunquā enim dispensatur, nisi aliquid numeretur, quod si numeretur, ne dum in præsentes constitutionum transgressores, sed etiam in futurum, vt eas ipsas transgredi liceat, indulto, quod vocant, Apostolico permittitur, & ex hoc omnia flagitia ortum habent. Ex pœnitentia peccatorum pecunias colligi vult, easque in tantum aggrauari, & augeri iubet, vt laici priusquam eam satisfactionem acceptare velint, pecunia magis sibi ab illis

 immu-

immunitatem comparent: Ad huiusmodi pecuniam ex peccatoribus exugendam Papa Cardinalem suum nepotem magnum pœnitentiarium deputat, cui omnes casus Papales absoluendi facultas data est.

Cancellariæ Romanæ regulas excogitauit, quibus omnia beneficia Ecclesiastica Romam protrahantur, atque ad fauorem Nepotis sui, siue Cardinalis, siue aliorum domesticorum aggrauentur, ita vt in alijs Prouincijs nati, vbi beneficia sita sunt, non aliunde, quàm ex consanguineis, & familiaribus Papæ, magna pecunia numerata, aut magna pensione annua reseruata assequi possint. Neque in hoc inexplebilis nepotis illius auri sitis quiescit, qui nouas quotidie artes excogitat, qualis est illa, cùm super beneficio aliquo vacaturo duo, aut tria millia aureorum ad futuros casus reseruantur, collatoribus ordinarijs, tam Ecclesiasticis, quàm secularibus, eorumq; iuri ordinario, ac ipsis denique Ecclesiasticis beneficijs in prægrande exitium, pernitiem, attenuationem, & detrimentum, Num cùm casus aliquis futurarum reseruationum existit, assequiturque is beneficium, cui prius reserua-

ta erant ſuper hoc millia, tum ad ſupremam opem, confingunt permutationem, reſeruationem, ſurrogationem, reſeruantes ſibi ingreſſum, regreſſum, acceſſum, atque alias id genus fraudes, quibus ius ordinariorum collatorum ita exhauritur, & attenuatur, vt aut nunquam, aut vix tandem poſt multorum annorum curricula patroni, ac collatores ordinarij ad ius ſuum peruenire poſſint. Huius generis ſunt gratiæ, reſeruationes pectorales, mentales, generales, ſpeciales, regreſſus, acceſſus, incorporationes, vniones, & concordata, quæ ſuis vocant excogitatis nominibus, ob pecuniæ & priuati lucri amorem ſuper beneficijs, & prælaturis vbique exiſtentibus, quæ pro nepotum & conſanguineorum vtilitate, atque etiam familiarium introducta fuere, Imo aliquando ſocietatibus mercatorum diuitum conceduntur, cum onere ſoluendi aut cenſum, aut debita quoque alicuius extinguendi, quamobrem beneficia ſæpius perſonis inidoneis, ac inhoneſtis conferuntur, qui plus penſionis, atque iſtius promptam extinctionem per quinque annatas anticipatim ſolutas offerant, ita vt ouibus Chriſti præfecti paſto-

res ſint, quorum & ſi voces fortè audierint, non intelligant. Præterea Abbatiæ multæ commendatæ ſunt in tutelam, & incorporantur, quò factum eſt, vt ita Abbatiæ & monaſteria attenuata, & exhauſta ſint, quòd cum ante hac in vno illorum quadraginta, vel quinquaginta perſonæ ſatis commode foueri potuerint, nunc quatuor, vel quinq; neceſſarijs vix prouideri poſſint alimentis: omnis res in priuata compendia, & commoda excogitata eſt. Annatarum etiam ſolutio ab omnibus Eccleſiaſticis, & prælatis exigenda, pro paranda contra Turcas defenſione, quæ non contra Turcas, ſed ad propria commoda conuertuntur. Præterea quoſdam Nuncios, & collectores pecuniarum Cameræ deputat, qui auri ſacra pellecti fame, fœnus illicitum ne dum non interdicunt, ſed & paſſim per Regna vbi deputantur, permittunt, fouent, atque tutantur, Inſuper etiam clericos, & religioſos, ac ſeculares, accepto ab eiſdem annuo cenſu, publicè cum concubinis, & meretricibus cohabitare, & ſpurios procreare ſinunt: Ita fit, vt impudentia magna auaritiam, apertis oculis, palpebris ſanguineis, & craſſis, corporeq;

req; parũ puro lucri cupiditatem affectent.

Quis igitur non abominetur hoc auaritię Regnum flagitiorum domum, omniſque ſceleris profligatiſſimi quoddam contubernium? Quis non accuſet Papam, qui nouis dogmatibus ſacroſanctam doctrinam adulterat, diuinas literas falsò interpretando, ſuę cauſæ & voluntati ſeruire cogit; ſacra prophanis, diuinis humana commiſcet, vtrumque iuxta polluit, ſimulata religione decipit, defraudat, circumuenit ſupremi numinis legem, in qua ipſe quoque ſe ligauit, ſoluit: Vtrumque imperium, & pontificatum ſicut decreti, & falſorum Deorum cultores factitare conſueuerunt vſurpat. Quis iſtud aſſertum religionis caput non accuſet? Quis illius religionis incolam non irrideat, vel ſi prohibeatur à fletu, in tanta calamitate degentium non miſereatur, quis quęſo in hac religione ſimulatorum, diuinis legibus deſtituta, vbi nummis peccandi licentia conceditur, oculos prohibebit à libidine, linguas à contumelia, manus à rapina, audaces à cæde, vt alia omittam.

An igitur cum peſſimo hominum genere conuerſandum eſt? Execratur ſapiens hu-

iuſmodi

huiuſmodi ſocietatem, *Eccleſiaſtic.* cap. 13. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicabit ſuperbo, induet ſuperbiam,* Et Prouerb.cap.24. *Ne æmuleris viros malos, nec deſideres eſſe cum eis, quia rapinas meditatur mens eorum, & fraudes labia eorum loquuntur.* Primi hominum, quoniam callidiſſimi ſerpentis colloquio vſi ſunt, virulentis mortiferiſque eiuſdem ſollicitati ſuaſionibus, à mandato Dei deſciuerunt, & amiſſa Paradiſi amœnitate, ad huius vitæ miſerias redacti fuere, *Geneſ.*cap.3.*Thobias* cum filium ſuum in Mediam mittere vellet, *Perge nunc,* inquit, *& inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum, quem ille inuentum percontatus eſt, vnde eſſet & an viam, quæ in Mediam ducit, ſciret,* Thob.ca.3. *Ioſaphat* Rex Iuda, licet rectè vixiſſe, prædicetur coram Domino, quia tamen amicitia illi intercеſſerat cum *Ochozia* Rege omnium peſſimo, per Prophetam arguitur, & claſſis, quam cum ipſo communem habebat, priuſquam in Tharſis, qui miſſa fuerat, perueniſſet, naufragio perijt, Rurſum alias naues, cõmunicatis impenſis ædificare cum *Ochozia* tentatus, renuit, iam damno ſatis edoctus, ne innocentem quidem ſecurũ eſſe, cũ perdi-

tis

tis hominibus commertium habentem, 3. *Regum* ca.22. *Petrus* ipſe Apoſtolus, Chriſti amore inter omnes ardentiſſimus, tunc quidem refrixit, cum atrium *Caiphæ* ingreſſus impiorum hominum ſe implicauit colloquijs, compulſuſq; eſt negare ſe illum noſſe, quem paulò ante, Dei viuentis filium confeſſus fuerat, *Math.cap.*26. Iccirco Dominus noſter, petenti diſcipulo, vt abiens parentaret patri, non permiſit, ne infidelium cognatorum, quos affore funeri neceſſe erat, conſortio macularetur: *Sine*, inquit, *mortui ſepeliant mortuos ſuos, tu me ſequere*, quia ſcilicet, ego vita ſum, mecum viue, & dimitte mortuos, ne fortè & ipſe ſimul moriaris, *Math.cap.*8. *Luc.cap.*9.

Hinc factum eſt, permittente Deo, vt à Papæ Romani deuotione, & vltronea obedientia diſceſſerint, Anglia, Boemia Morauia, Sleſia, Luſatia, Tranſiluania, magna pars Poloniæ, Suetia, Dania, Noruegia, Irlandia, Lapia, Grolandia, Scotia, maxima Alemaniæ pars, bene magna Franciæ, itemque Belgiæ, Geneua Italiæ proximior, & in ipſa Italia (ſimplicibus, atque idiotis circumſcriptis) pauciſſimi ſunt, qui Papiſtarum, & Papæ vi-

tia non abhorreant, & ab illis liberari non optitent.

EPISCOPORVM GALLIÆ ET GERMANIÆ EPISTOLA AD ANASTASIVM II. Pontificem Romanum

EX CONCILIO:

Qua Papam, & Italicos Episcopos monent vt sese missos faciant, nec deinceps super eos tyrannidem exercere pergant.

LOngè aliud sunt Pontificales sedes, & aliud Præsidentes; Proinde honor, & dignitas cuiusq, sedis venerabiliter obseruandæ sunt, præsidentes autem si deuiauerint per deuia sequendi non sunt. Hinc est, quòd botros carpere & spinas cauere oportet. Non putatiuè, sed veraciter adfirmant Episcopi, ex multis auctoritatibus dicentes, maiorem esse auctoritatem Conciliorum, quàm vnius Papæ Anastasij. Paulus Apostolus, qui clamat, Imitatores estote mei, *in faciem restitit Apostolorum Principi Petro, quia reprehensibilis erat, eò quòd Gentiles in quibusdam Iudaizare cogeret; scandali enim seminarium est,*

eſt, dum Epiſcopi ſuper Epiſcopos procellas excitant in ſancta Eccleſia, vbi ſumma pax eſſe debet. ſurda aure cordis audientes Scripturam dicentem; Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Nec imitantur humilitatem boni paſtoris, qui animam ſuam poſuit pro ouibus. qui non ſecundùm aurium auditum, nec ſecundum viſum oculorum iudicat, ſed ſecundū id, quod eſt ſcrutator cordium. Audiant igitur, vel Apoſtolum clamantem, Attendite vobis, & cuncto gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Igitur non ſubito cum temeritate ſunt proferendæ ſententiæ Epiſcoporum contra Epiſcopos, volentium irritas facere poteſtates aliorum Epiſcoporum. Anacletus Papa, dicit, Accuſatores autem, & teſtes eſſe non poterunt, qui ante externum, & nudiuſtertius diem inimici fuerunt, ne irati nocere cupiant, & ne læſi iudicium conuertant in ſuam vltionem: Hinc Sixtus Papa dicit, Accuſatoribus ſuſpectis, vel de domo inimicorum prodeuntibus, non eſt credendum. Papa Theleſphorus dicit, Iuſtitiæ palmam non obtinebimus apud eos, qui teſtes ijdem ſunt, qui & iudices, & inſuper accuſatores; Nullius ſententia opponatur, vt ſcripturarum veritas annulletur.

Præterea iuxtà literam, intellectus noſter re-

fugit nouitatem compaſsionis, qua vtuntur erga infirmitatem Franciæ medici Italiæ. Continuis febribus agitantur, qui curare noſtros Epiſcopos volunt; cœci ſunt, qui lumen eis promittunt: gibberoſos, & obtortos noſtros eſſe putant, qui habentes ſtrumam auaritiæ anguſtam portam non intrant. Oues ſuos errare permittunt, & paſtores noſtros ad viam veritatis reuocant, cùm ſpiritualium morborum medicinam, hoc eſt, abſolutionem animarum, Romæ eſſe adſerunt; Sed ire ad ipſam coram, inter arma, quæ ſunt intra fines per viam, noſtros compellunt. An in tota Italia nullus eſt, qui ægrotet? Si in noſtris ſolis exercere vires ſui iudicij volunt, audiant Paulum ſapientem, dicentem, Nolite iudicare ante tempus, quoad vſque veniat Dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordis, & tunc erit laus vnicuique à Deo. *At ſic audacter eos in auribus vulgi reprehendere ceſſaremus, ſi & poſt noſtros, per gratiam Dei ſanos, cauterium non inferrent. Quod ſi cauterium ſuum adhuc aduerſus noſtros mouere diſponunt, Gallicam in ſeſe veritatem ſentient, quam ſine cauſa in ſe prouocant. Non enim putandus eſt ille medicus ſani capitis eſſe, qui antea vult ægrotos inflammare, & ferro ſecare, quàm*

qualitates

qualitates ægritudinis cognoscere. Si autem amplius affirmauerint, Episcopos Galliæ spiritualiter ægrotare, sciant igitur Dominicum præceptum, iuxtà illud Infirmum visitatem; Non enim currere debet ægrotus ad medicum, sed medicus ad ægrotum, Quod si renuunt. sciant nos habere perfectum, & optimum, & Euangelicum antidotum filij Dei, quo à nobis pœnitus repelluntur spirituales molestiæ. Monendi sunt Episcopi, ne damnent occultas conscientias nostrorum Episcoporum, & ne prætendant illis, quasi per zelum nimiæ iustitiæ insidias Regij iudicij, ne compellantur Euangelicè respondere QVI SINE PECCATO EST, *de Episcopis Italiæ* PRIMVS LAPIDEM MITTAT. *Hoc dicimus, ne per duriciam suæ mentis, auctoritatem, quam suam esse putant, in Episcopis nostris feriant, quia non est impossibile ictum præiudicij sui in eos resilere, maximè cùm nostri nunquam didicere plus, quàm necesse est, formidare; Fateamur hodie tamen ante Christum, qui liberauit Socrum Petri de febribus, quia consolatores onerosi sunt Episcopi Italiæ, quos Ioannes à Patmo insula re vera à numero electorum vidit abstractos; dum inter cætera dicit, Misit draconem, & traxit tertiam partem stellarum, Hi dum nituntur abstrahere à nostris pastoribus lu-*

men laudis, inuoluuntur glaucomate sui erroris, quos ita faciemus, vt qui viderint, non videant, Fama enim, hoc est odor malæ famæ, exit in fines orbis terræ eorum, qui habitant vltra montem Iouis, sagittans vltra lapidem salutis, quod non sint plantati in domo Domini secundùm ordinem Melchisedech, quibus expedit, vt suspendatur mola asinaria in collo eorum, quod conati sunt sua temeritate pastores nostros scandalizare. Sed si valuerunt, quantum ad illam copiam, quam habent, nihil nocere, quos patet in die, & in nocte obuolutos esse vmbra sui somnij, ita si æstimant in Gallia defecisse hæc tria, verbum, ferrum, ingenium. Ne ergo fumum suæ voluntatis in vanum spargant, discant, & taceant, vt discendo, & tacendo pulchriores fiant; Etiam si inclinata esset arca testamenti nostri, calcitrantibus tauris Galliæ nostrorum Episcoporum esset, & non illorum inclinatam releuare. Quod si in arcam Ecclesiæ nostræ solicitè lingua crimen intendant, ruinam interius cum Oza leuita habere poterunt. Fatemur autem, quoniam si vitulos cogitationum nostrarum agnoscere possent, suum summum bonum esse dicerent, si noti non fuissent, & dialecticum hunc syllogismum vigilanter intelligant. Si omnibus Episcopis vna inest potestas, est & vni, est autem omnibus vna potestas, igitur & vni.

EPISCOPORVM GERMANIÆ ET BELGII EPISTOLA AD NICOLAVM I. PONTIFICEM Romanum

Ex Synodo Colonienſi, ſub LVDOVICO Iuniore Imperatore,

NICOLAO PONTIFICI GVNTHERVS, ET THEODOGVTHO.

PAtres Epiſcopi, & fratres coepiſcopi noſtri, nos ad te miſerè, ipſi quoque ſponte Romam venimus, acta tibi obtulimus, vt ſi quid in his peccatum, erratumque videretur, tanquam parens pientiſsimus, benignè, & modeſtè vt præceptorem decet, commonefaceres. Tu verò accepto libello noſtro, viginti amplius diebus, nullum omnino, vel per internuncios reſponſum reddidiſti, tantùm abfuit, vt in conſpectum tuum admitteres. Nos otioſi ſedimus Romæ; poſt demum menſem ferè nos accerſitos, vbi abſque cunctatione aduolauimus, & nihil mali ſuſpicantes, quaſi more latronum oppreſsiſti, nam ſtatim vbi in ædes recepti

cepti sumus, pessulo foribus obdito, circumdatos turba paganorum, expoliatos, itaque omni spe humano, & Comites nostros sacris, prophanisque exclusisti, ibi contra fas, contra decreta, moremque maiorum, sine cœtu Ecclesiastico, cum circumstetisset nemo Archiepiscopus, nemo Pontificum, & Symmistarum accessit, neque tu aut de errore nostro quicquam disseruisti, aut ratione aliqua, testimonio, scripto, aut argumentis errorem per te arguisti, nec quicquam penitus tu deseruisti, sed subito & improuiso, cum lateri tuo hæreret Anastasius monachus ambitus condemnatus, sententiam contra nos iniustam, temerariam, & nefariam, & Christianæ religioni repugnantem, de cartula effudisti, & satis proterue tuis fratribus, atque conseruis verbis illusisti.

Immortalis Imperator Augustam, & sponsam suam clara, æternaque supellectile instruxit, dote fragili, ac caduca condecorauit, sed perpetuo diademate, ac sceptro prouexit. Fecit eidem potestatem atque copiam, vt diuos consecraret, Cœlo adsereret, ægros curaret, mortuos immortalitate donaret; quæ beneficia, tu veluti latro intercipis, templo Dei præripis, in teque transfers, atque lupus factus es ouibus, viuos occidis, fortes superis detrahis, vulneribus ad inferos extrudis, gladi-

um mellitum condis, mortuos * * quibus per te reuiuiſcere, non licet. Tu Pontificis quidem perſonam præ te fers, at tyrannum agitas, ſub cultu, & habitu paſtoris lupum ſentimus, titulus parentem mentitur, tu te factis Iouem oſtentas: Cum ſis ſeruus ſeruorum, Dominus Dominantium eſſe contendis. At qui iuxta diſciplinam Chriſti, Seruatoris noſtri infimus es, omnium miniſtrorum templi Dei. Tu verò libidine dominandi in præceps abis: quicquid tibi libet, licet, fucuſque factus es Chriſtianus. His de cauſis nos cum fratribus noſtris, & collegis, neque edictis tuis ſtamus, neque vocem tuam agnoſcimus, neque tuas bullas, tonitruaque tua timemus. Tu eos, qui ſenatuſconſultis non parent, impietatis condemnas, iiſdem ſacrificiis interdicis. Nos tuo te enſe iugulamus, qui edictum Domini Deique noſtri conſpuis, concordiam collegii diſcindis, pacem, immortalem, cœleſtis Principis teſſeram, violas, Spiritus Sanctus auctor eſt omnium Eccleſiarum, qua longiſſime, & latiſſime terrarum orbis porrigitur, Ciuitas Dei noſtri, cuius municipes ſumus ad vniuerſos cœli cardines pertinet, maiorque eſt Vrbe, quæ Babilonia à ſacris vatibus appellatur, vt quæ diuinitatem vſurpet, cœlo ſe æquet, ſe æternam fore iactitet; perinde ac ſi eſſet Deus, immortaliſque

 ſapiens

ſapiens, neque vnquam ſe erraſſe, aut errare poſſe, mendaciter gloriatur.

De ambarum epiſtolarum veritate, conſule *Goldaſtum* in Conſtitutionum Imperialium rationali parte. 1. fol. 48. & fol. 50.

Nunc de Papatus extinctione agendum, de qua duo duntaxat ſcripſere, quos ipſe viderim, Nouus homo, in libro, cuius titulus eſt, *Supplicatio ad Imperatorem Reges, Principes* &c. impreſſus eſt Londini anno 1613. & *Adamus Mulſeus*, qui in illum commentatus fuit anno 1615. Liber eſt in quarto cartarum 187. In Italia forte, ſed apud quem impreſſus erat non apparebat.

Et quidem ſi primam Noui hominis rationem perpendamus, illa omnia probat: Cum enim tam de iure, quâm de immemoriali conſuetudine receptum ſit, quod Papa ſuper ſucceſſore eligendo nouam legem, nouamque formam ſtatuere poſſit, qua non ſeruata electio aliter facta, nulla exiſtat, Euenit quod *Iulius* Papa 11. qui per ſimoniam regiminis culmen rapuerat erroris ſui pœnitens, ſuper ſimoniaca Papæ electione nouam legem ſanciuit, quam poſtea *Andreas*

Gambarus

Gambarus illius familiaris interpretatus eſt, & ille Pontifex commentariorum dedicationem, his verbis factam patienter ſuſtulit, *Lætor Pater ſancte, Simoniam, quam in tui electione commiſiſti, cum tanto horrore prohibere* &c. Commentarij ad ipſam nouam *Iulij* conſtitutionem ſcripti Romæ primum impreſſi fuere, poſtea ſæpius editi, Nunc inter repetitiones Canonicas Venetijs impreſſas ſimul cum hac epiſtola legi poterunt: Cumque epiſtola veritatem diceret, nemo vſque ad hæc tempora contradicere auſus eſt: Et quamuis conditor ſua conſtitutione non ligetur, tamen omnia iura clamant electionem ſimoniacam nullam, atque inualidam eſſe; Item ſimoniace electum excommunicatum, ab Eccleſia excluſum, &, Iccirco in Papatu intruſum dici oportere. Quare, quod Nouus homo à *Sixto* V. incepit, à *Iulio* II. exordiri oportebat.

Sed illius rationem proſequendo, Conſtitutio illa ita decreuit, *Si contigerit poſtquam nos, vel ſucceſſores noſtros ſucceſſiue, Deus ab huiuſmodi vniuerſalis Eccleſiæ regimine abſoluerit (humani generis inimico procurante & ambitione, vel cupiditate adhoc inclinante) electionem*

Romani Pontificis, ab eo, quem eligi contigerit, vel ab aliquo, seu aliquibus de cœtu Cardinalium quomodo libet votum dantibus, per simoniacam hæresim in dando, promittendo, vel recipiendo bona cuiuscumque generis castra, officia, vel beneficia, seu promissiones, & obligationes, commissam per se, vel per alium, seu alios quomodocumque, & qualitercumque, & in duarum partium vel omnium Cardinalium vnanimi concordia, quomodolibet, etiam per viam assumptionis vanimiter, etiam sine scrutinio facto celebrari, vel fieri, nō solùm huiusmodi electio, vel assumptio eo ipso nulla existat, & nullam eidem sic electo, vel assumpto administrandi in spiritualibus, & temporalibus facultatem tribuat, sed etiam contra dictum sic electum, vel assumptum, de simoniaca labe à quocumque Cardinali (qui eidem electioni interfuerit) opponi, & excipi possit, sicut de vera, & indubitata hæresi, ita vt à nullo pro Romano Pontifice habeatur, &c. Nec huiusmodi simoniaca electio per subsequentem ipsius inthronizationē, seu temporis cursum, aut etiam omnium Cardinalium adorationem, seu obedientiam, vllo vnquam tempore conualescat. Liceat omnibus, & singulis Cardinalibus, etiam illis, qui huiusmodi simoniacæ electioni, siue assumptioni consenserint, etiam post inthronizationem,

onem, siue adorationem, & obedientiam, ac etiam vniuerso clero, populo Romano, nec non subditis, & sancti Angeli de vrbe, & quarumuis aliarum arcium præfectis, Castellanis, Capitaneis & alijs officialibus à talis electi, & inthronizati obedientia, ac deuotione, impunè, & quomodocumq; discedere, & eum vt Magum, Ethnicum, Publicanum, & hæresiarcham euitare; Et insuper liceat Cardinalibus, qui electioni simoniacæ interfuerint, & à præfato sic electo discesserint, &c. Concilium generale indicere, ac conuocare in loco idoneo, prout eis videbitur expedire.

Minorem propositionẽ agit ita *Nouus Homo, Sixtum V. per simoniã electũ eße, nemo dubitat, Nam vt Papa eligeretur, suffragia Cardinalis Estensis, Cardinaliumq; ab illo pendentium emit, eidemque mediante scriptura sua manu subscripta promisit, nunquam in suo Pontificatu Hieronymum Mattheum (qui inimicus Estẽsi erat) se creaturum Cardinalem, si Estensis, cum suis in proxima electione Sixtum suffragijs suis ad Papatum vellent promouere, Et cùm mediante Estensi factus fuisset Pontifex opus, se manuum suarum eße, professus est.*

Hic est casus Bullæ Iulij II. *quæ adhuc in recenti viget obseruantia, ita vt omnes Cardinales,*

 cùm

cùm primùm conclaue ingrediuntur, bullam illam obſeruare, tactis ſacris in ſe recipiant.

Ipſum factum ſimoniacæ electionis Sixti quinti notorium factum eſt; Nam cùm Sixtus datam Eſtenſi fidem violaſſet, Hieronymumque Matthe-um Cardinalem creaſset, Eſtenſis præ nimio dolore ægrotans, antequã moreretur, illam apocham Sixti V. manu ſubſcriptam ad Regem Catholicum Philippum II. tranſmiſit qui anno 1589. Ducem Sueſſæ Oratorem extraordinarium Romam miſit, ad intimandum ipſi Sixto generale Concilium ſuper declaratione ſimoniacæ electionis, & ad requirendum DD. Cardinales à prædeceſſoribus creatos, alioſque Eccleſiaſticos ad comparendum in Concilio Hiſpalenſi; Itaque ipſa apocha, ipſumque factum in iudicium deductum, notorium factum eſt: ſed quia intimatione facta Sixtus præ deſperatione mortuus eſt, negotium vlterius progreſsum non eſt. Hæc Nouus Homo, cætera ommittuntur multa, quæ in eius libro videri poterunt.

Ergo ſiue incipiamus à *Iulio* II. ſiue à *Sixto V.* ſi vtrumque intruſum fuiſſe in Papatu, conſtat, Cardinales ab illis facti, qui poteſtatem nullam habebant, tales verè non erant. Nemo enim dat, quod non habet,

ergo

ergo electionis iure carere omnino diceban-
tur, quod veris Cardinalibus, non autem in-
trusis, datum esse, In Concilio Constantien-
si in electione *Martini* quinti definitum, &
receptum extitit: Quamobrem omnis Pa-
patus, omnium Cardinalium dignitas extin-
cta est. Quod nullum est ab initio, à non ha-
bente potestatem ad validitatem reduci nul-
lo modo potest, Papa igitur nulliter electus,
intrusionem suam purgare non potuit: licet
sententiæ, declarationesque, & iudicialiter
expedita, rata esse debeant, neque in dubium
refricari, quoniam publica vtilitate suaden-
te, recepta fuere, multò magis si in alijs Reg-
nis obseruata extiterunt, quoniam tunc ex
consuetudine cum titulo putatiuo introdu-
cta dici possunt, Imò cum titulo vero, si ab
alijs illorum Regnorum Episcopis appro-
bata fuerint, quorum non esse minorem po-
testatem, quàm Episcopus Romæ habeat, in
primo huius libri capite satis probatum est.

Ex præfatis extinctionem Papatus op-
time probari, credo: Interdum ex eo solo,
quòd Papa in concilij excommunicationem
inciderit, ab Ecclesia exclusum dici, atque
Papatum defecisse tractatum est, Cùm de
anno

anno 1504. *Michael* Archiepiſcopus Conſtantinopolis Nouæ Romæ Patriarcha Oecumenicus , ita prętenderet, opponebat enim contra Concilij Epheſini decretum in Symbolo fidei, illud verbum (*Filioque*) addidiſſe, Ideo *Conſtantinus Iconomachus* Imperator, omnes Latinorum Eccleſias velut interdictas claudi iuſſit , ampliſſima literatis viris præmia dono dedit, qui ſuper hac veritate libros conſcriberent, vt teſtatur *Io. Buterus* in Relationibus totius Orbis , parte 3. libro 1. vbi agit de Græcis Europæ, inibi multa alia ad hoc propoſitum legi poſſunt.

FINIS.

d. libello grauaminu[m] Germa·
nie· Bella· lib· 1· c· 2· transl·
imper· col· 917